

DE  
**TUMORIBUS COMPOSITIS.**

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE  
DORPATENSI,  
AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE  
*LEGITIME OBTINENDUM*  
ELABORAVIT ET PUBLICE  
DEFENDET

UNIVERSITATIS CAESARAE  
CASANENSIS

*MEDICUS PRIMAE CLASSIS*  
AUCTOR

*Nikolaus Kasloff,*  
*ORENBURGENSIS.*

---

DORPATI-LIVONORUM.  
TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXXXVII.

1832

*1626.*


57049

**I M P R I M A T U R**

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio, cui exploratio librorum mandata est, tradantur.

Dorp. die 15. Feb. 1837.

SAHMEN, Decanus.



434029

**PATRI SUO**

*Filius.*

Il faut regarder des conjonctures, comme des matériaux en réserve, qui peut être feront un jour exploités par des mains plus habiles ou plus heureuses, et qui, seulement alors, ayant acquis le droit de circulation, feront partie du domaine de la science. (Andral. Clin. medic. T. 11.)

## PRAEFATIO.

*De producto pathologico rariori et nondum satis explorato, de tumoribus compositis, atroce et rarissimo morbo, ut Boerhavius (opera omnia medica in 4to, p. 440 Venet. 1733) placuit, tractaturus sum. Non dubito fore plerosque, qui hoc thema tenue et disquisitione accuratiora indignum judicent. Sed cum omnia producta morbosa, tum inter caetera et istud, a viribus organismi humani parari, nec non legibus, quas morbis ipsis natura proposuit, ut recte Plinius, obtemperari, nemo denegat. Unde nil impedit, quin hanc rem perscrutemur. — Sed animo meo mecum thema electum volvens, non*

possum, quin libentissime confitear ac palam proclamem, me, etiamnum tironem, operi perfectionem meritam dare non potuisse. Terque quaterque beatos illos puto, qui, Nosocomiis amplis versati ac experientia medica propria edocti, proprias observationes et opiniones, ex his eductas, populo tradere possint, ita, ut pudore non confundantur. Nobis vero, cum experientia propria parca sit, aliorum labores colligere et inter se comparare restat. Hanc viam secuti sumus tum ex nostra ipsa mente, tum magis adhuc propterea, quod ea Medicinae corypheis non plane displiceat, et recte cel. Morgagni: „Nulla est alia, pro certo noscendi via, nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias tum aliorum tum, proprias, collectas habere et inter se comparare.“ (De sedibus et causis morborum. Lib. IV. prooem.)

## SECTIO PRIMA.

### Symptomatologia tumorum compositorum.

**Tumores** inaequales, vel compositos [tumeurs dissimilaires (1), ungleichartige Geschwülste (2), masses cancerenses (3), tumeurs composés (4)] ejusmodi formationes pathologicae, quae non ex una quadam, sed ex variis substantiis vel homöoplásticos vel heteroplásticos, quae in tumoribus occurrunt, constant, dici velim.

Licet nullo modo denegari potest, similia auctoribus veteribus comperta fuisse; tamen

- 
- 1) Lobstein — Lehrbuch der pathologischen Anatomie. B. 1. p. 391. Stuttgart. 1824.
  - 2) Dr. Neurohr — interpres Lobsteinii operis, ibid.
  - 3) Bayle et Cayol — in Dict. des sciences medic. Art. Cancer. p. 638.
  - 4) G. Bayle — Traité des maladies cancerenses. ouvr. posthume. T. 1. Paris. 1834. Introd. p. 40.

hilominus morbus hic organicus nostra memoria demum excultus et accuratius investigatus est. Autopsiae cadaverum, a veteribus vel saepius omnino neglectae, vel male peractae, artis diagnosticae difficultas et ruditus, morbi raritas caeteraque similia in culpa sunt, cur fere nulla hujus morbi vestigia in veterum operibus nobis occurrant. Saeculo praeterlapso inprimis cel. Boerhave tumorem inaequalem describit (5), morbi atrocis rarissimique nomine eum salutans; — serius Cajetano Tacconi refert (6) descriptionem tumoris compositi magnitudinis montosae et 32 librarum ponderis. Sed nondum disceptata res erat, cujusnam indolis tumores hi sint et ad quamnam morborum classem referendi, adeo, ut cel. D. Monro, posterius similem descriptionem referens, ignorantiam suam hoc in casu confiteatur, et morbo nomen Tumoris anomali designet. Hodierno vero tempore cel. Lobsteinio, Prf. illi Argentoratensi, palma rite meritoque cedenda est, quod primus morbum hunc et nomine proprio salutaverit, et descriptione accurata dignum duxerit, et legibus peculiaribus subjecerit (7), licet studium ejus materiam perfecte exhaustisse nullo modo dici potest. — Post eum cel. Andral in opere suo clinico summe merito (8) quosdam casus tumorum compositorum tradidit, nec male de re disseruit; et cel.

5) l. c.

6) *Commet. acad. Bonon.* T. 5. p. 2. p. 18.

7) *Lobstein* — l. c. p. 383 — 391, p. 401 — 411.

8) *Cliniq. medicale ou choix d'observat.*, in V Tom. Paris. Deux. Edit. 1829 — 1834.

G. L. Bayle, ejus brevem descriptionem in opere suo supra citato fecit, cum jam prius multo copiosius de eadem re locutus sit in *Dictionnaire des Sciences medicales* (9), judicans, morbum indolis canerosae esse.

Nota tumorum inaequalium characteristicam est connexionem substantiarum, quae per se tumores peculiare formare solent; ut substantiae cerebralis, quae fungo medullari inest, substantiae lardaceae, gelatinosae, cartilaginiformis, lamellosae etc., quae in cancribus inveniuntur, textus porro erectilis, qui in fungo haematode, telengiectasiis, naevis maternis etc. observatur, massae demum tum adiposae, tum tuberculosae, tum melanoticae, nec non aliarum, quae vel tela cellulosa, in fungum transmutanda, conjunguntur, vel per producta varia accidentaliter, ut ossa, fibras, cartilagineas, pseudomembranas etc. pertexuntur, vel liberae, vel in cystidibus absconditae jacent.

Dividerem morbum hunc in 5 stadia, quorum primum, vel stad. cruditatis, causae proximae germinis evolutione stipatur, secundum vero, vel stad. incrementi perdurat usque ad eruptionem tumoris spontaneam, quae stadium tertium, vel efflorescentiae (sit venia verbo), vel emollitionis, evocat.

A) Stadium cruditatis.

Morbus incipit tumore circumscripto, indolente, semigloboso, elliptico, saepe mobili, cum finitimis concolore, plano, levi, duriusculo, sine signis inflammationis, nisi ab ea provocatus sit. Qui diu in hoc statu sine ulla mutatione perspicua

9) *Article Cancer* p. 633 — 651.

remanere solet, irretiens pedetentim finitima in circulum suum. Nec raro nulla symptomata morbosa provocat, sic, ut ab aegro profecto non suspiciatur. Partes quidem finitimae incolumes restant, nisi quod, stadio hoc diutius protracto, a venis quodammodo varicosis percurruntur.

B) Stadium incrementi.

Vel per se, vel quadam potentia nocente praevia, tumor celerius, quam prius, increscere solet. Tum nonnunquam dolores fortiores evadunt, nec raro tam fortiter exacerbantur, ut aegrum lecto affigant, somnumque ei profecto auferant. Dolorum indoles varia est, licet lancinantes vel urentes plerumque sint. Tumor ipse rapide increscit, simulque inaequalis, tuberosus (mamelonée), fluctuans sentitur. Mollior enim evadit; partes, quae prius formabantur, quasi liquefiunt, recenter enatae duriores tanguntur. Unde liquidum, per decompositionem paratum, prava indole sua omnia, quae tangit, corrodit, ita, ut sinus vel pure, vel sanguine, vel sanie impleti, irregulares formentur. Partes finitimae, tumorem obtegentes, sensim sensimque exfoliantur, splendidiore, leviores et tenuiores fiunt, erysipelatosam sibi adscinunt inflammationem, vel absorbentur, vel partim disrumpuntur et liquidum serosum edunt. Stadium hoc tempore variatur, sed plerumque priori celerius percurrit. Longius autem durat, si tumor compositus vel in capsula peculiari jacet, vel nimis profunde nidulatur, vel organa obsidet, quorum integumenta duriora sunt.

C) Stadium efflorescentiae, vel emolliitionis.

Tumor magis magisque accretus organi superficie proprius accedere, ut omnia producta morbosa heteroplastica, nititur; — cute vero, vel membrana, qua prius obtegebatur, disrupta, efflorescere incipit in fungositates proprie sic dictas, h. e. in massam organicam, luxuriantem, fungosam, rubicundam, sanguinem sub levissimo tactu fundentem, brassicae botryoidis, vel fructuum rubi Idaei, formam simulantem. Partes finitimae, jam in secundo stadio cum tumore concretae, omni propria indole amissa, in massam ejus trahuntur, molliores, hypertrophicae, cito in tumorem transgressurae, evadunt. — Hoc stadium tamen raro observatur, nam injuria a morbo hoc in organismo illata et organorum affectio topica non possunt, quin morte terminentur prius, quam stadium tertium intraverit.

Talem decursum plurimi tumores compositi habent; connexus solus substantiarum variae indolis fungosam ac malignam naturam iis induere valere videtur. Sed non potest denegari nisi cancrum vel fungum medullarem cantineant, eos multo benignius procedere, ut saepe per totam vitam innoxie perferantur.

Et, dum hoc modo decurrunt, tumores compositi, plerumque inter viscera sedem sibi conciliant, vel in visceribus ipsis nidulantur. In primo casu animadversione nostra progressus eorum ab uno viscere ad aliud, vel per consensum vel per decursum vasorum dirigendus, non indiguus est. In ambobus vero Symptomata, quae in organismo universo a tumoribus compositis provocantur, magnas tenent:

1) Functio organi a tumore obsessi vel

omnino deprimitur, vel saltem depravatur et haec duplici ratione procedunt: *a*) vel per impedimentum mechanicum, quod tumor voluminosus organo affecto sistit, vel *b*) per perturbationem, quae in organi vita propria ab eo provocatur. Pulmonum tumores compositi respirationem impediunt, canali intestinali insidentes digestionem depravant (2), in renibus collocati urinae secretionem (3) quantitative et qualitative turbant, et sic porro varia producant symptomata, secundum organum, cui insidiantur.

2) Dolor. In priori omnino indolens tumor compositus in secundo stadio vel sensum pressionis molestum, vel dolorem lancinantem, urentem, vel irregulariter per se redeuntem, ut in cancris observari solet, vel irritatione quadam levi praevia revocatum, vel demum typum quendam regularem servantem, provocat. Dolor iste a nervorum distensione, quae tam fortis nonnunquam est, ut trunci nervosi plane dirumpantur, derivari solet (4), et quoad intensitatem vel tam magis est, ut somnum aegro auferat, vel parvus, vel omnino nullus.

3) Macies et febris hectica — symptomata sunt necessaria tumoris compositi, qui diu perseverat, et proveniunt a destructione, qua organismus universus in hoc morbo affligitur, vel ab

affectione topica organorum nobiliorum, quorum functio normalis desinit.

4) Aliter et inprimis vero, si morbus in hepate aliisque abdominis organis nobilioribus residet, hydrops exoritur primo ut oedema, post sub forma ascitae vel anasarcae. Quorum causa latet vel *a*) in pressione tumorum in vasorum truncos majores mechanica, vel *b*) in aequilibrio inter absorptionem et exhalationem sublato.

5) Systema lymphaticum saepissime afficitur in tumoris compositi stadio ultimo; glandulae lymphaticae insigniter intumescunt et, diathesi fungosa admodum vigente, cito indolem malignam variam sibi adsiscunt.

6) Morbo diutius perstante, constitutio peculiaris aegro imprimitur; lecto infixus, sine motu, functionibus destructis, somno privatus, doloribus atrocissimis vexatus, aeger morbo universali cachectico, destruente, implicatur; nutritio ei labitur, habitus peculiaris, scrophuloso non dissimilis, colore cutis pallido vel stramineo insignis fit et febris demum illa hectica accenditur, mortem citam et funestam adducens.

7) Symptomata nervosa minoris momenti ac potius accidentalia sunt in hoc morbo. Praeter dolorem non raro convulsiones, nec non, quamvis raro, deliria enascuntur.

8) Nec raro febris accenditur a reactione organismi provocata, symptoma autem accidentale sistit et nonnunquam plane deest.

Hic contulimus symptomata, quae fere omnibus tumoribus compositis propria sunt. Sed tum non desunt alia signa morbosa, prorsus varia secundum organum affectum et individuali-

10) Conf. Observ. XIX.

11) Conf. Observ. I. III.

12) Conf. Obs. XI.

13) Lobstein. I. c. B. I. p. 385. 388.

tatem aegri, quae hic citare non est locus; tum vero etiam permulta horum, quae jam citavimus, non raro plane desiderantur; tum et morbus ipse in organismo aliquoties latet, sic, ut nullum symptoma appareat.

In partibus constituentibus, quas tumor compositus prae se fert, summa varietas observatur duplici ratione.

a) Secundum stadia morbi, massa constituens variam formam, varios gradus consistentiae refert, variisque tingitur coloribus. Sic in primo stadio dura esse solet et consistens, densitate vel cerea, vel cartilaginea, vel fibrosa insignitur, vel certe hypertrophice impletur. Ambitus tumoris magis circumscriptus est strictiusque a finitimis partibus limitatur; color ejus plerumque albus est in roseum abiens; partes constituentes etiamnum uniformes, nec varia indole, ita, ut tumor, qui postea diversas substantias praestabit, in principio corpus uniforme praebat. In stadio vero secundo, simul cum tumoris augmento, substantiae, ex quibus hic constat, magis magisque variantur. Ex quo facilius differentiam harum animadvertere possumus. Neque consistentia earum eadem manet: quaedam partes, prius exortae, quasi liquefunt et sanguinem, vel saniem, vel denique pus secernunt; eademque fluidae massam erodunt, vel sinus irregulares, angulatos, vel vomicas, formant, ibique confluentes destructionem accelerant. Aliae autem partes, quae serius formantur, in stadio tantum primo perseverant. — Posterius et finitimae partes magis afficiuntur, nam tumor in dies increscens vim in iis producit, qua omnia, quae morbus

secum ducit, ex organismo amoveantur, unde major inflammatio exoritur. In hoc stadio tumor compositus naturam suam perspicuam obtinet, vel, idem significare velim si dicam, partium constituentium dissimilitudinem optime demonstrat. Etenim substantiae, quae olim in germine jacebant, nunc profecto evolvuntur ac varias indoles prae se ferunt. In stadio tertio dissimilitudo adhuc major observatur, nam luxuriatio, vel efflorescentia, quam puto, textuum legibus strictis irridet. Sinus pure scatentes magis magisque increscunt; tela cellulosa, sanguine impleta, in efflorescentiam, Brassicae botryoidis fructuum formam simulantem, irruit; partes erosae per intervalla delabuntur, eae vero, quae iis finitimae sunt, affectionem patiuntur. Ad quae omnia referamus praeterea varium exitum tumorum, e quibus tumor compositus constat, variamque affectionem partium finitimarum, tum partes accessorias tumoris, ut reliquias musculorum, tendinum, parenchymatis organorum, glandularum, oesium et nervorum, quae omnia in tumoris molem abrepta, flaccida, mollia, resoluta, sed nondum omnino destructa, massam irregularem, versicolorem, pastosam, inaequalem, putridam, exulceratam efficiunt.

b) Secundum partes constituentes, tumor compositus summam varietatem structurae ostendit; quod ex substantiarum, ex quibus hic constat, diversitate, tum ex ipsa ratione, qua substantiae illae inter se conjunguntur, compertum fit. Hac ratione duplicem modum connexus videmus: a) vel substantiae variae per juxtaposio-

nem tumorem component, vel b) per connexionem textuum mutuam organicum.

### A. Tumores compositi per juxtapositionem.

In his substantiae heteroplasticae variae alia juxta aliam ponuntur, sic, ut nullum nexum organicum ineant, sed quae libet vitam propriam degat. — Tales complicationes diversae sunt, licet saepius substantiae quodammodo affines connectantur, ut e. g. Cancer cum Fungo medullari et Tuberculis etc. Nec semper idem restat numerus, in quo hae coeant.

1) Non desunt casus, ubi fere omnes tumorum species in massam unam inaequalem commisceantur. Talia refert exemplar sequens, quod fungi medullaris nomine immerito, ni fallor, a referente salutatum est.

### Observatio I.

Tumor compositus, qui e Cancro, fungo medullari, tuberculis, massa adiposa, fibrosa et lardacea constat.

(Hufeland's Neues Journ. d. pract. Arzneik. 1833. LXX. 11 St. Aug. Fall eines Magenmarkschw. etc. von D. A. Staub zu Bamberg. p. 1—30.)

I. R. . . . ., mercator, 48 annos natus, temperamento irritabili-cholerico, semper prospera valetudine fruebatur. Ante annos 19 enteritide laborabat, a qua tamen cito restitutus est; sed brevi post a moliminibus haemorrhoidalibus, quae typum regularem servabant, correptus fuit. Tum

demum refrigerio humido subjectus haemorrhoides amisit, quarum loco sensatio premens, constringens in ventriculo palam fit cum ventorum simul exitu, appetitum diminuto, typum haemorrhoidum stricte servans. Nullo auxilio medico sollicitato, aeger morbo paene exhauriebatur; nam exinde marcor, color faciei luteo-fuscus, ciborum appetitus nullus, lassitudo, pressio ventris, flatus, dolores circa os sacrum et lumbos, pruritus in ano molestus, fluxus haemorrhoidarius, cholera, oedema pedum etc. cito proruperunt. Alimentum modo sumptum sensationem urentem in anteriore ventriculi pariete elicit, quasi multo calidius factum proserpat a cardia ad curvaturam magnam; quae vero postea capiebat, dolores non provocabant. Hi enim aliquoties de die sentiebantur, post hora quavis, tum vero penitus sublatis; — quorum loco dolor comprimens, constringens ortus, qui situ inclinato et pedibus et manibus abdomini admotis modo sedabatur, et, ut sensatio minus molesta ad umbilicum protracta, in cavitate pelvea evanescebat. Ter unaquaque die alvus semiliquida movebatur, rutilis, nigro-fusca; pulsus incitatus, debilis; temperatura corporis non adacta; nulla sitis; somnus inquietus, non reficiens; animus aequus, segnis, pavidus, iracundus; — excretio sputorum per noctem immodica; gustus fatuus, salina appetens; abdomen molle, subtimidulum; pressio in regione scrobiculari; icterus per totam cutis superficiem, vomitus, ardor ventriculi, eructatio acida, lipothymiae, quae usum remediorum cohibent. Brevi post in ab-

domine tumor sentitur, triangularis, pugno par, durus, regularis, circumscriptus, qui a linea alba incipit et oblique sinistrorsum tendit.—His omnibus incrementibus, licet congrua adhibita sit medela, mors aegrum invadit mense uno post tumoris primum introitum praeterlapso.

**Sectio cadaveris.** In cavo abdominis fluidum flavescens, prurimum provocans. Omentum magnum in sinistro lobulo, sub magna ventriculi curvatura, degenerationem ostendebat, quae pugnum adaequabat, tum e massa fibrosa, tum e substantia lardacea constabat et in forma restis,  $1\frac{1}{2}$  digitum crassae, ad umbilicum tendebat ac, latior crassiorque facta, peritoneo accreverat. Hoc, praesertim ubi cum aliis partibus coalitum erat, fuscum et crassius erat, et, sicuti intestina et omentum, stratu albuminoso obtegebatur. Hepar normali voluminosius sanguine scatebat nigro et superficie sua convexa cum peritoneo concreverat, unde loculamenta, pure flavo sordido impleta, formabantur. Vesica fellea bile impleta erat; caetera organa, praeter ventriculum, in statu sano reperiebantur. — Ventriculus vero, normali amplior et crassior, a tumoribus varie magnis, bulbosis, intra tendentibus, obsidebatur. Quorum maximus, ovatus, in medio curvaturae majoris jacebat, ovum anserinum adaequabat, duritiem semicartilagineam ostendebat et membrana serosa, maculas in rubrum lividas referente, obducebatur. Superficies ejus externae impressio insidebat, quae ovum columbinum amplecteretur et umbilico non ab-similis erat, et cui fluidum fuscescens, sordidum, cum massa fuliginosa, pulveri caffee quodam-

modo simili, mixtum, inerat. Tumor vero ipse constabat e massa encephaloidea, quae textu nigro, reticulari, quasi disrupto, coeruleo, involvebatur. — Superficies ejus posteriori finitima erat lamina omenti parvi posterior, quae e degeneratione modo encephaloidea, modo granulosa, modo melanotica constabat, variis coloribus tingebatur et vesicis (liquido carentibus), grani milii magnitudine, impleta erat. — Curvaturae ventriculi minori, propius ad pylorum, tumor alter insidebat, qui colore coeruleo tingebatur, in lobulos parvos discedebat et in media parte, ut praecedens, impressione preditus erat, quae lamina omenti parvi, in massam adiposam permutata, operiebatur. Superficies ejus posterior cum omento arcte concreta erat; contentum vero ejus e partibus et durioribus et mollioribus constabat; harum stratum externum e massa coerulecente, irregulari, nigro-punctata, gelatinosa; medium, ex encephaloide duriori; internum e massa gelatinosa, livida, conficiebatur; — illae vero constabant e corporibus, quae casei consistentiam referebant, friabiles erant, massa gelatinosa coerulea circumdabantur, libere jacebant, et interne colore albo in cinerem, externe coeruleo exercebant. — Superficies ventriculi externa, prope fundum tunicae inflammationem vesicularem, ex emphysemate et melanosi confectam, ostendebat. — Tota vero interna hujus visceris superficies a bulbis varie magnis, vel fabam, vel ovi anserini dimidiam partem, adaequantibus, obsidebatur. Quorum erant 3 species; a) nondum perfecte evoluti, cum sub-

stantia alba, encephaloidea; b) alii, cum maculis luteis a bile, quae sub tunica pituitosa effluerat, productis: c) flavi vel rubri, majores, cum maculis obscure fuscis, vel immo atris, et striis purpureis. Omnes vero ex substantia encephaloidea, fusca, compacta, constabant, quae in nonnullis massa coerulea et tunica pituitaria, ad limites non erosa, sed pedetentim in tumorem permutata, circumdabatur. In aliis vero, qui colore atro-fusco distinguebantur, loco substantiae cerebri, materia mollis coccinea, strato flavo in viridem obiecta, jacebat; nec deerat tumor flavus, qui in ima parte massam coeruleam, in superiori coccineam, in media demum duram, coeruleam, albo-striatam, continebat. — Massa encephaloidea vel libere jacebat; vel a materia, fuligini simili, obvolvebatur, quae digitum observatoris leviter tingebat.

2) Sed multo saepius animadvertere contingit, non tam multas substantias simul conjungi ad tumorem compositum conformandum. Non rarae sunt compositiones ternae, h. e. tumores per connexum trium substantiarum heteroplasticarum formati. — Tali modo cancer conjungitur cum tuberculis, fungo medullari vel aliis substantiis, ut ex observationibus sequentibus elucet.

## Observatio II.

Tumor compositus e fungo medullari, cancro et formationibus tuberculosis constans.

(Horn's Archiv. Jahrgang. 1829. — Obductionsberichte, als Beiträge zur Diagnostik und Pathogenie einiger chronischen Krankh., von Dr. L. Nisle. IIIe Obduct. p. 825—829.)

Hepar praeter naturam voluminosum, Hxii—xv grave, magis quam tertiam cavi abdominalis et dimidiam pectoris partem complebat, margine anteriore ima, superficie superiori anteriora spectante; lobus ejus dexter, quoniam hypochondrium totum occupabat, renem ad ima et posteriora premebat, sinister vero ventriculo superjacebat, toto hypochondrio sinistro sibi vindicato; margo demum posterior columnae vertebrarum, per excrescentias bulbosas, quae tamen facile ab illo separabantur, adhaerebat. — Superficies hujus visceris tum superior tum inferior obtegebatur tumoribus rotundiusculis, flavicantibus, quibus taeniae substantiae adhuc integrae interpositae erant. Volumen illorum erat varium, nam vel ciceris fructum, vel ovum anserinum adaequabant; sed totum hepar, cum verticaliter dissectum esset, e stratis tumorum constare videbatur; substantia autem integra tantum in taeniis erat, nec non partim in lobulo quadrato et ad marginem externum lobi sinistri. Maximi tumorum, numero 16, inerant lobulo dextro et 2—2½ poll. in diametro metiebantur, — minores vero a ciceris magnitudine ad ovum gallinaceum; neque alius juxta alium collocati erant, sed partim per telam cellulosam, laxam, sanguis-

ne scatentem, partim vero per substantiam hepatis, vel sanguine abundantem, colore normali tinctam, vel in resolutionem liquantem et exulcerationem permutandam, sejungebantur. — Quis tumor capsula propria praeditus erat, quae e tela cellulosa, plus minusve compacta, conficiebatur. Contentum eorum variam naturam demonstrabat, licet omnibus color luteo-albus esset: tumores minimi superficiem glabram, duram, consistentiam cartilagineam exhibebant; alii vero massam praebebant tenacem, aequalem, cui digitus foveas imprimebat, languide compensandas; alii admodum molliores erant et massa, cerebro simillima, implebantur; horum demum maximi cum lipomatibus, vel tumoribus adiposis, similitudinem referebant, capsula forti et compacta obducebantur et in imis partibus massa molli, grumosa constabant; — non deerant plane, quorum substantiae solutae, fluenti, concretamenta cretacea admixta erant; maximis etiam cavum, quod a sero lacteo, sine odore, implebatur, et substantia tuberculosa solutior inerant. Manifestum erat, grana minora telae laxae insidere, quae, dum in taenias discedebat, cavitates in cameras separabat. Lobulus Spiegelii cum cardia indurata conjungebatur ope massae tendinosae vel cartilagineae, quae imo cavitatem, a secreto viridescente, foetido, impletam, continebat, inde ductus parvi, tum in ventriculum, tum in hepatis tumores discedebant.

Splen triplo minor erat, quam ordinarie; pancreas a tumoribus similibus obsidebatur; intestina vero, praecipue tenuia, tam coarctata erant, ut ne calamum scriptorium quidem trans-

mitterint; tunica muscularis ventriculi inprimis exculta erat.

---

### Observatio III.

Tumor compositus ejusdem indolis.

(Andral, l. c. T. IV. t. 11. p. 670—673.)

Faber tignarius, annum 71 natus, tres menses post lapsum in lumbos, dolores sentiebat in epigastrio dextro primo lenes et fugaces, postea vero intensos et continuos, simul cum appetitu nullo, vomitu acido, obstipatione pertinace, debilitate, marcore et formatione tumoris in hypochondrio dextro rotundi, immobilis, sub pressione summe dolentis. Non multo post sequuntur symptomata biliosa, icterus, defectio virium, functionum intellectualium jactura et mors fere post semestre tempus ab injuria traumatica illata praeterlapsam.

Sectio cadaveris. In epigastrio dextro tumor nidulabatur, qui, crassitudinem pugnorum duorum assecutus, in inferiore parte a curvatura ventriculi limitabatur, superiori sua portione lobulum hepatis sinistrum et diaphragma tangebatur, parti vero posteriore Aortae adiacebat. Originem suam hic tumor ducebat a superficie ventriculi posteriori et quodammodo superiori et constabat e tela scirrhosa et encephaloidea in stadio cruditatis, quibusdam partibus materia tu-

berculosa impletis. Postrema pars duodeni, valvulae conniventes, tunica mucosa ventriculi et orificium canalis choledochi edebant signa levis inflammationis. Caetera vero incolumia.

Hujusmodi complicatio satis saepe provenit in tumoribus compositis, et praecipue cancer cum fungo medullari affinitate quadam mutua pollere videtur et tubercula cum utroque libenter conjungi solent. Multo vero rarius ex complicationibus ternis cancer cum encephaloide conjunctus cum melanosi connectitur, ut sequentibus observationibus manifestatur:

#### Observatio IV.

Tumor compositus e cancro, encephaloide et melanosi.

(Andral. I. c. T. II. p. 572—584.)

Miles, 51 annum natus, febre vexabatur et doloribus circa umbilicum, qui in dies increcebant ac modo peritonitidis, modo fluctuationis suspicionem promovebant. Quibus per medellam antiphlogisticam funditus amotis, abdomen tumidum factum est, et statim tumorem praestitit irregularem, rotundum, mobilissimum, qui, origine ab umbilico ducta, pubem assequabatur majoresque dolores in dies provocabat et ad regionem iliacam dextram tendebat. His incre-

scutibus cito delirium, motus convulsivi et mors, 5 hebdomades post primum dolorum originem, secuta sunt.

Sectio cadaveris. Regio umbilicalis, hypochondria ambo, hypogastrium et fossae illacae tumore implebantur, qui sese ad marginem ventriculi colicum inserebat et ab imis pube operiebatur. Pone eum jacebat arcus coli, quorum cohaerebant intestina tenuia, quae exsudationibus membraniformibus obtegebantur, nec non coecum et colon. Situs, directio et nexus cum aliis partibus extra dubitationem ponunt, tumorem hunc ex epiplooo formatum fuisse. Consistentia sua durus erat, compactus, rugosus, gibbosus (bosselé); incius vero sequentia praestitit: maxima pars ex albo in coeruleum, semipellucido, sub scalpello clamante textu (scirrhus in stadio cruditatis) constabat; in aliis vero locis cavitates inveniébantur vel regulariter rotundae, vel oblongae, vel anfractuosae, liquido gelatini-formi impletae, aut parvae, ut ne cicer amplecti possent, aut amplae ad amygdali magnitudinem — (scirrhus in stadio emollitionis). Ubique textui huic immixta erat massa alba, opaca, in qua vasa sanguinea pervagabantur, inter se connivebant varia ratione et areolas plus minusve regulares formabant (massa encephaloidea cruda). Nec non hic illic materia pulvacea, rubescens, cerebro in putredinem abeuntii simillima, a sanguine impraegnata (massa encephaloidea emollita) occurrebat. In quibusdam demum partibus color textuum albus cum substantia intensius fusca (initium melanosis) miscebatur et jace-

bant hic illic massae adiposae (vel epiploon sanum?)

### Observatio V.

Tumor compositus ejusdem naturae.

(Bayle, l. c. T. 1. p. 284.)

T. R. . . . ., 50 annos nata, debili valetudine, tumorem mammae dextrae sine ulla causa increocere, vidit. Spatio 8 mensium tumor hic volumen insigne adeptus et jam efflorescentiae propior erat; cutis, eum obtegens, colore violaceo tingebatur, dolores lancinantes aegrotam excruciant, glandulae axillares tumefactae videbantur; cachexia cancrosa praesto erat. Operatione neglecta, tumor brevi post in exulcerationem transiit, et fungum exegit cum suppuratione abundante et lateris dextri oedemate. Cura palliativa, quae ad dolores intolerabiles mitigandos abhibita erat, nil praestitit et aegra diem obiit supremum post 12 menses a tumoris origine praeterlapsos.

**Autopsia.** Mamma sinistra atrophica; dextrae vero tumor insidebat fungosus, cancrosus, exulceratus, 2 poll. crassus, 5 poll. latus. Exulceratio, 4 p. longa, sinuositates et excavationes profundas, margines crassissimos, inaequales, irregulares, fundum versicolore, vel griseum, vel nigrum, vel fuscum, vel rubrum, praese ferebat. Circa hunc tumorem cutis intertexta

erat indurationibus cancris pisiformibus. Tumor ipse constabat e substantia lardacea, alba, dura (cancer), partim e massa cerebriformi, non magnopere alba (encephaloides); reliqua pars ejus erat dura et colore atramento scriptorio consimilis (melanosis). Inter cutem, quae in substantiam lardaceam permutata erat, et mammas in quibusdam partibus stratum adipis sani jacebat. Glandulae axillares et cutis indurata cancrum praebant, qui in stadio cruditatis perseverabat. Organa thoracis sana, ossa non fragilia, immo sanis duriora.

Fungus haematodes, vel saltem tela erectilis, qua praecipue constat hic morbus, obvenit interdum in tumoribus compositis cum cancro, vel encephaloide, vel tuberculis quoque conjunctus. Sed complicatio haec rarius provenire videtur, quod forsitan inde pendet, quod fungus haematodes rarius interna organa obsideat, quae a tumoribus compositis praecipue frequentantur. Tamen non plane desunt hujusmodi exempla, ut exempli causa in Observ. XIX, quam infra tradere nobis propositum est.

Lipoma, vel massa adiposa, quae illud format, et Seatoma, vel massa ejus lardacea, saepenumero tumores inaequales implent in conjunctione cum aliis substantiis. Tum vero, si major pars tumoris ex iis constat, decursus morbi non tam rapidus esse solet, nam massae hae multo similiores organismo nostro sunt. Simile exemplum vidimus in clinico Instituto, quod Dorpati Livonorum floret, ut statim sequitur:

## Observatio VI.

Tumor compositus constans e massa encephaloidea, adiposa et tuberculosa (?).

(Clin. Dorp. 1835. 1. Sem.)

M. P., 54 annos natus, custos sylvarum, statura robustus, temperamento cholericus, ante 4 annos post refrigerium, sensationem in hepate, quasi corporis cujusdam duri passus est; quae vero brevi post evanuit. In praesentiarum vero a respirationis incommoditatibus, cephalalgia, tussi doloreque in regione hepatica correptus fuit; iisque incrudescentibus auxilium medicum consuluit. Unde in clinicum Institutum receptus. Color faciei flavescens erat, cutis sicca; spiritus cum strepitu, normali rarius (17ies per horae sexagesimam), in situ horizontali difficiliter, ducebatur; sub profunda respiratione dolor pungens in regione hepatica apparebat et marginem percurrerebat diaphragmatis; thorax ubique clare percutiebatur; pulsus durus, plenus, 78ies per horae sexagesimam micabat; regio hepatica, praecipue si lateri dextro incumberebat aeger, dolens erat; hepar ipsum profundius jacere videbatur et tumidum durumque erat; margo ejus inferior posterior et lobulus sinister sub exploratione strictè percipi poterant, abdomen tensus, tumidum, indolens erat, in ima parte sub percussione graviter resonabat et quodammodo fluctuare videbatur. Praeterea conquerebatur aeger, praecipue cibo sumpto, de plenitudine et tensione

in hypochondrio; extremitates inferiores tumidae, molles, frigidiusculae erant; digestio bene procedebat.

Medela congrua adhibita, symptomata morbosa in dies decrescebant, tumore excepto, qui majus volumen sibi conciliare videbatur; brevi post febris, typo irregularis, accensa est; interim oedema pedum magis magisque excolebatur, diarrhoea in medium provenit et aeger, post 5 menses a doloris in hepate ortu, diem obiit supremum.

Sectio cadaveris — Intestina et crassa et tenuia tum inter se, tum cum finitimis, ubicunque concreta erant; haec 4 intussusceptiones, quarum nonnulla 6 pollices metiebantur, praebant; pelvi 3vj seri inerant. Hepar praeter naturam voluminosum; superficiei inferiori posteriori lobulo dextro tumor cysticus, rotundus, laevis adhaerebat, qui, a diaphragmate origine sumpta, parieti abdominis posteriori adjacent, inter hepar et renem collocabatur, 1 ped. in longitudinali et 4 poll. in transversali diametro metiebatur et per telam cellulosam duram diaphragmati, hepatis, reni et intestinis accretus erat. Isque tumor maxima ex parte constabat ex substantia tum adiposa, tum lardacea, cui materia cerebro similis copia parca, in massis oblongis, ovatis, libere jacentibus, connexa erat; nec deerant ei cavitates, quae liquido luteo, ichoroso, vel hic illic sanguine, implebantur. Mediam tumoris partem massa calculosa efficiebat, sub forma granulorum, quae ossis assulis non dissimilia erant, et quasi arena crassa inter digitos tangebantur. Nucleus tumoris constabat ex sub-

stantia lardacea, dura, alba in flavum, quae ossis assulis obsita in cameras per loculamenta cystidis discedebat. Ponderus tumoris Hvj adaequabat. Cystis ejus duabus e laminis composita erat; externa tenuiori, compactiori et interna laxiori, quae quibusdam locis exfoliata, attenuata, erat; inter laminas vasa satis evolnta, quibus parietes tenues, erant. Hepar duobus locis parenchymatis sui in massam encephaloideam permutatum erat, quae membrana obducta et hic illic substantiae adiposae intexta erat. Sed degeneratio haec cum tumore cystico non jungebatur. — Caetera nil memoratu dignum referebant.

5) Hi erant connectus substantiarum terni. Praeter illos nonnunquam occurrunt tumores inaequales, qui e duabus tantum substantiis heteroplasticis constant, et exinde compositiones binae nominari debent.

Tuberculosis persaepe complicatur cum productis morboris aliis, quae in tumoribus occurrunt; — nam, data hac diathesi, decompositio facile locum habere potest cum in omnibus organis ea affectis, tum praecipue in iis, — quae ab hypertrophia vel inflammatione obsidentur. Hanc ob causam non raro evenit, ut tubercula in massam caucrosam, vel telam encephaloideam, vel hydatides, vel melanosin, vel, demum in alia infiltrantur, ut sequentes observationes ostendent.

## Observatio VII.

Tumor compositus e massa encephaloidea et tuberculis constans. Alter vero e cancro et tuberculis formatus.

(Andral. 1. c. T. 11. p. 396 — 405.)

N. N., 25 annos natus, olim doloribus fugacibus saepe vexabatur, qui tum inferiores, tum superiores, extremitates percurrerant, donec situm sibi in regione lumbali fixerint. Jidem vesicatorio appposito evanuerunt, atamen, annis duobus praeterlapsis, denuo in cavitate abdominis, simul cum obstipatione alvi pertinace, borborygmis, nausea, regurgitationibus, in medium provenerunt et non multo post tumor sinisterosum ab appendice xyphoideo apparuit. Viribus in dies labentibus, lateri sinistro inter processum xyphoideum et duos digitos supra umbilicum, tumor durus, qui cuti parcebat, sub pressione edebat dolorem et superficiem praebat glabram, formam rotundam, irregularem, increscebat. Urinae raras, rubras, difficiles, dolorificae emittebantur. Caetera vero in statu sano perseverabant, praeter, quod a motu immodico, situ resupino et praecipue a nisu ad alvum deponendam, dolores atrocissimi provocarentur. Cum temporis mora longiori etiam in latere pectoris sinistro dolores orti sunt. Quibus omnibus incrudescens mors sine agoniam insecuta est, post 5 menses a dolorum in abdomine origine prima.

Sectio cadaveris. Marasmus. Abdomine aperto, statim sub margine costarum spuriarum lateris sinistri cartilagineo, pone marginem ventriculi splenicum, columnae vertebralis parti anteriori sinistrae tumor voluminosus, durus, renitens, forma regulari, renem sinistram opprimebat et usque ad bifurcationem aortae propagabatur. Pars ejus inferior ab intestinis tenuibus obtegebatur, superior vero colon tollebat, latus deinde dextrum a duodeno, quod non transversaliter, sed fere verticaliter exinde jacebat, limitabatur. — Tumore inciso apparet tela opaca, per pressionem serositatem ichorosam edens, vasis parvis rubris pertexta, quae, dum in variis directionibus eam pervagarentur, intervalla parva et irregularia inter se formabant. In media hac tela, admodum dura (massa encephaloidea in stadio cruditatis), jacebant sine ulla cohaesione corpuscula albo lutescentia, friabilia. In aliis vero locis massa haec jam emolliitioni succubuit et fetus cerebro, quod in putredinem abit, similima, grisea, inodora, cum sanguine extravasato mixta, facta est (Massa encephaloidea emollita). Aorta, cum lumine coarctato (ut ne digitum minimum introducas) et parietibus intactis, medium hujus tumoris occupabat. Parte ventriculi, quae splenem versus tendit, amota, in conspectum prodit receptaculum amplum, ex quo effluxit magna copia sanguinis liquidi, faecibus similis, ibique 3 frustula dura sanguinis nigri remanserunt. Parietes receptaculi e massa, praecedenti simillima (tumor encephaloideus in stadio ultimo), formabantur; ipsum cavum hepar verus tendebat, quod ut ligula tenuis in hypochon-

drium sinistram prolongabatur. — Splen parvus, exsanguis, durus, pallidus, sed sanus. Hepati tumor, praecedentibus simillimus, insidebat et substantiae ejus ipsi massa encephaloidea infiltrata erat. Calices renis dextri solito triplo majores. — In excavatione pelvis, minoris massa cancro tuberculis permultis impleta inveniebatur. Verumontanum a cancro obsidebatur. In apicibus amborum pulmonum tumores duo, ut pomum gallicum magni, qui massam encephaloideam in cruditate et emolliitione, et tuberculorum farragineum continebant, nidulabantur. Nec non pulmonum superficiei externae inerant tumores similes parvuli et in pulmonum substantia ipsa tumores hi sparsi erant. — Ganglia lymphatica, quae ductum thoracicum circumdebant, in cancerum immutata erant.

### Observatio VIII.

Tumor lymphaticus cum tuberculis.

(Andral. l. c. T. IV. t. 11. p. 651—653.)

Typographus, 23 annos natus, phthisicus, a doloribus atrocibus in hypochondrio sinistro, qui eum lecto fixerunt, et febre correptus fuit. Quae vero a medela antiphlogistica, nam morbus pro rheumatismo ductus fuit, profigata sunt. Sed non multo post in eodem loco sensum incommoditatis aeger percipere incepit et tumorem

sub costis lateris sinistri sponte exoriri vidit, oblongum, profundius tendentem, ad latitudinem 4 digitorum sub costis admodum percipiendum, fere lineae albae finitimum. Cum ulteriori temporis mora tumore increscente, aeger phthisi pulmonali succubuit.

Sectio cadaveris. In hypochondrio sinistro tumor residebat, qui crassitiem duorum fructuum aurantiorum aequabat, splenem a parietibus abdominis secernebat, capsulam tangebatur suprarenalem et cum omnibus simul partibus finitimis accretus erat; sensationemque fluctuationis exhibebat. Tum impletus erat liquido seropurulento, inodoro, coloris albi impuri et parietibus cingebatur albis, celluloso-fibrosis usque ad 4 vel 5 lineas crassis. Cystidis substantia cellulosa-fibrosa tuberculis uberius infiltrata erat. In pulmonibus et canali intestinali excitationes et exulcerationes tuberculosae visae sunt.

Praeterea non desunt aliae quoque combinationes. — Cancer conjungitur saepissime tum cum fungo encephaloide, tum cum aliis productis plasticis morbosis et haec forsitan causa est, cur hujus morbi descriptiones tam variae, tamque incertae sint (14). Longe alia nobis mens est, quae ut has combinationes citemus; decursum enim morbi nil refert peculiare, massae cancerosae et encephaloideae evolvuntur, quaeque secundum leges

14) Bayle, l. c. p. 64.

suas, et tumorem referunt compositum, cujus vero partes ipsae facile distingui possunt.

## Observatio IX.

Encephalois cum cancro in cerebro.

(Andral. l. c. T, V. p. 458.)

N. N., 58 annos natus, per annos 15 sentiebat dolorem atrocem capitis in latere dextro, modo silentem, modo denuo, et semper cum majori intensitate, vim suam inchoantem, modo urentem, modo lancinantem. Brevi post functiones intellectuales labuntur, cum palpebrarum parali, linguae deviatione, somnolentia, resolutione lateris dextri, sine ulla tamen jactura sensibilitatis. Quae, licet per medelam congruam avera sint, status tamen aegri in dies pejora ominabatur, nam Symptomata valde diversa prorumpabant: lingua tum sicca, vel rubra, tum sicca vel humida erat, vel coma cum acretu tracheali, vel vigor insolitus functionum intellectualium aegrum obtinebant. Denique apathia completa et status adynamicus mortem moluntur.

Sectio cadaveris. In latere dextro, ante thalamum opticum, substantia cerebri, colore flavo accepto, in pulpam dissimilem reducta

erat. Ad exteriorem partem thalami optici et corporis striati dextri, pars cerebri, 2 poll. et quid superest longa, 1—1½ poll. lata, glauco-rubra, gibbosa, rugosa, inaequalis, fungositatibus, quae in dura matre occurrunt, non dissimilis, sub incidendo ut cancer ventriculi vel hepatis renitens, evasit. Erat tela areolata, coloris albi in coeruleum, semi-pellucida, durissima, a cavitatibus liquido gelatinae, quae e pomis conficitur, non absimili, impletis decussatim percissa (scirrhus in stadio cruditatis et emollitionis). In aliis vero regionibus tela coloris albi sordidi, consistentiae mediae, taeniis rubris varia ratione pertexta, (Encephalois in stadio cruditatis) praesto erat; et nonnullis locis in pulpam rubram permutabatur (Encephalois emollita). — Haec degeneratio, a regione thalamorum incipiens, ferre usque ad basin cranii tendebat. Caetera nil memoratu digni referebant.

Fungus haematodes, vel tela ejus erectilis, cum aliis productis plasticis non raro connectitur. Sed descriptiones hujus morbi etiamnum non satis enucleatae sunt, quo hic adduci possent. Observemus tantummodo, in descriptione hujus morbi a cel. Hey (15) nobis tradita, plures casus nec fungum medullarem, nec haematodem, per se constituere, sed ambarum affectionum conjunctionem esse. — Cel. Lobstein (16)

15) Vid. Chirurgische Handb. V. Band. W. Hey's Chirurgische Beobachtungen. Weim. 1823.

16) l. c. p. 284.

haemorrhoides, quae in caecum permutantur etiam ad tumores compositos refert, in quibus cancer combinatur cum tela erectili, quam in haemorrhoidibus, secundum H. Becamieri observationes, suspicatur. Quae vero si ita quidem essent, viri celeberrimi opinionem affirmare nolumus, nam telae cujusvis degeneratio perse in aliam tumorem compositum rite constituere adhuc non valet.

Melanosis non raro provenit in connexu cum tuberculis aliisque productis plasticis morboris facile distinguendo. Cujus rei exemplum afferemus infra in Observatione XIX. Nec non lipomata ex adipe nonnunquam constant, quae cum aliis substantiis complicatur. Eadem de steatomatibus valent.

Haec erant tumorum heteroplasticorum juxtapositiones. Ex observationibus, quas supra attulimus, videmus, substantias, tumorem compositum in hac ratione constituentes, separate jacere et unamquamque harum decursum suum legitimum observare symptomatibusque propriis exituque solito stipari. Sic massa cancrosa et encephaloidea efflorescentiae succumbunt et in fungositates discedunt, massa tuberculosa emollitur, massa melanotica, fluidior facta, organa infiltrat et sic porro secundum leges proprias, quarum morem unaquaeque substantia gerit. — Hic distinctio substantiarum, quae tumorem constituunt, non difficilis, natura earum non turbata, decursus non impeditus.

*B. Tumores compositi per connexum organicum.*

Aliter tum res se habet, si producta plastica

morbose non per juxtapositionem, sed per commixtionem reciprocam, per textuum connexum organicum, tumorem compositum constituunt. Hic et diagnosi difficilior et decursus diversior. Nam nisus vitalis, cuidam substantiæ insitus, non potest, quin inimice in aliam, quacum arte jungitur, agat. Inde abnormes, neutrae, irregulares formationes emergunt, vel saltem tumor, natura dubius, virtutibus perversus, inconstans, provocatur a viribus morbosis variis, quae simul agunt. Talis connexus organici exempla non rara sunt in medicinae annalibus. Citemus sequens.

### Observatio X.

Tumor compositus, constans e substantia cancerosa, encephaloidea, melanotica et adiposa.

(Andral, l. c. T. IV. t. 11. p. 637—645.)

F. F., 31 annos nata, quae semper bene menstruis purgata erat ab anno inde primo et optime partus edebat, post partum ultimum, qui laboriosus erat, a leucorrhœa et metrorrhagia abundante correpta fuit. Simulque sensit dolores in abdomine, quod eodem tempore intumescere incepit. Exploratione obstetricia effectum fuit, collum uteri, praeter alias affectiones organismi, morbosum esse. Unde canterisatio adhibita. Quo facto, — dolores in hypogastrio exorti iis,

qui in partu proveniunt, non dissimiles, et adhuc multo gravioris facti post remedium purgativum inepte sumpsum. Abdomen dolebat sub pressione praecipue umbilici et tumore obsidebatur rotundo, qui pone pubem originem sumit, fere umbilicum tangebatur et uterum gravidum simulabat. Collum uteri fere in introitu vaginae morabatur, molle, cum exaltata sensibilitate et orificio dilatato; parietes vaginae duræ, rugosae, a sanguine foetido obiectae; pulsus frequens, debilis, lingua humida, appetitus nullus, diarrhoea copiosa (4 sedes per horam). Medela congrua adhibita, dolores remittunt, sed brevi post explorationem tumoris, quam plures simul instituerunt, dolores denuo incrudescunt et aegra moritur.

Sectio cadaveris. Ventriculus, aere distensus, totam regionem epigastricam occupat; regio umbilicalis, laeva dextrum, hypogastrium, ambaeque fossae iliaca tumore explentur, qui inseritur ad regionem ventriculi colicam, in ima parte a pube limitatur, arcum coli, quocum cohaeret, partem intestinorum tenuium; coecum, colon ascendens et descendens prae se habet et in ima parte tum in uterum, tum in ligamenta lata degenerata transit, sic ut solam massam formet. Situs, directio et nexus cum finitimis indicabant, tumorem ex epiploa formatum esse. Hujusque durities insignis, superficies anterior rugosa areolata est, crassities variat et in quibusdam partibus pollicem excedit. — Primum stratum illius e tela densa, 2—3 linearum crassitie, colore albo-griseo, forma pseudo-membranarum, quae jam diu perstant, constat et ope

telae cellulosa laxae cum strato tertio jungitur. Hoc structuram complicatam et dissimilem repraesentat: *a*) punctatim sparsa erat in eo tela coloris albi in coeruleum, semi-pellucida, omnino vasis sanguineis carens, sub scalpello clamans (scirrhus in stadio cruditatis), *b*) in quibusdam partibus cavitates inerant parvae, infractuosae, vel regulariter rotundae, vel oblongae, quae liquido subflavo, gelatiniformi scatebant, ac vel lentis, vel amygdali magnitudinem adaequabant (scirrhus in stadio emolliitionis); *c*) Textui huic ubique intertexta erat tela coloris albi opaca, a vasis sanguineis pervagantibus in areolas irregulares divisa (Encephalois in statu cruditatis); *d*) Hic illic occurrebat substantia pulvacea, rubeascens, cerebro in putredinem abeuntis non dissimilis, a sanguine illinita (Encephalois emollita); *e*) in quibusdam denique partibus color albus contenti in intense fuscum, qui forsitan melanosin argueret, transiebat. Inter telas has varias, quae tam arcte intermixtae erant, ut tumorem tantummodo adumbrare (nuance) viderentur, dispersa erant corpora adiposa, solida, subflava, quae in sano epiploco occurrere solent. — Eidem degenerationi succubuerunt portio peritonei, quae curvaturam coli iliacam sibi inserit, ligamenta lata et membrana, quae rectum ad uterum alligat, sic, ut nec tubae Fallopii, nec ovaria in hac degeneratione discerni possent. — Inter laminae mesenterii adeps abundabat et laminarum superficies interna ambae granulatio-nibus rotundis obtegebantur, quae colore albo in griseum, consistentia debili, lentis magnitudi-ne distinguebantur, friabiles erant et per com-

pressionem in liquidum lacteum immutabantur. Portio peritonei, quae intestina operit, exsudatione albuminosa obtegebatur et ejus ope cum intestinis cohaerebat. — Inter tunicam intestinorum muscularem et peritoneum in tela cellulosa, qua invicem junguntur, vasa sanguinea, fortiter injecta, praesto erant. Praeterea fere nil memoratu digni.

Sed uterus, licet pubem non excederet, nam prolapsus erat, tamen duplo major normali videbatur. Parietes ejus partim sani erant, massam partim cancosam cum praevalenti materia cerebriformi conformabant. Labia externa valde mollia, inaequalia, erosa erant, odorem foetidum, colorem viridem in fuscum edebant. Integumenta eorum facile abstergebantur, sub iisque substantia rubro-livida, spongiosa, facile dirumpenda, sanguinem per incisiones et compressionem abundanter fundens (textus erectilis) jacebat. — Hepar et renes pallida, mollia; splen liquido scatet viscoso, aortae abdominalis diameter paene catotidem adaequat, vesica urinaria coarctata est.

Quum vero, substantiis heteroplasticis acutissime inter se connexis, vires peculiares cuiusvis earum insitae non agant aequa ratione, tum aliam energiam suam superare potest, vel ei indolem suam profecto conciliat, vel saltem eam ad normam suam, licet imperfecte, adulterat. Sic, si melanosis cum tuberculis jungatur videmus, primo decursum tuberculorum regularem esse, brevi vero post in iis sparsim apparent puncta et maculae nigrae; vel tubercula normaliter de-

currentia, dum emolliuntur, colore nigro tinguntur et in pulpam nigram, purulentam, spissam abeunt. Vel ex alio exemplo scirrhus melanoticus primo leges proprias sequitur, sed, cum in emollitionem transierit, massam melanoticam ostentat, vel si potentia cancrosa praevaleret in tumore, qui e melanosus et cancro constat, massam nigram consistentiam lardaceam assequi, taeniis fuscis vel nigris duris percurri et in fungos serius discedere, videmus. Si tubercula dyscrasiae cancrosae obtemperant, proprietates suas nativas non perfectò amittunt, sed qualitates cancri nonnullas tum physicas tum vitales, motuantur (17).

Praeterea non desunt alia exempla, in quibus natura substantiarum, quae tumorem constituunt, tam alienata est, ut nos omnino fugiat indoles ejus propria. Cur vero talia ad tumores compositos adnumeremus, probant sequentia:

1) In his materiae heteroplasticae, e quibus tumores compositos formari videmus, licet in locis a tumore remotis, sed semper corpori insunt (18).

Tumores hi neutri easdem proprietates vitales demonstrant, quas illi, quos supra descripsimus prae se ferunt, ut nisum ad augendum volumen, ad fungositates (19), ad invasionem finitimum etc.

---

17) Dr. Luyol — l. infra c.

18) Conf. Observ. XI.

19) Conf. Observ. XII.

3) Tumores hi eadem ratione influxum destruentem in totam organismi oeconomiam exserunt (20).

Sed hic partes, quae tumores compositos constituunt, nos latent; loco eorum adest tumor dubius, compositus, dissimilis quoad structuram, qui e substantia quadam neutra constat, celeriter increscit in fungositatesque vel emollitionem abit. Forsan, substantiae heteroplasticae, quarum germina in tumore olim commixta erant, cum aequa vi invicem luctabantur, donec extincta sint et, loco earum, productum aliud morbosum in medium provenerit. Quae tamen omnia tantum conjecturae sunt, quae probari difficile possint; citemus facta.

---

## Observatio XI.

### Tumor structurae dubiae.

(Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. 1818. XLVII B. B. 11 St. August. IV. 1. Einige Fälle von Fungus haematodes. nebst Bemerkungen von John Langstaff. p. 113—119)

Virgo, 21 annuum nata, constitutione tenera, semper bene menstruata, nisu olim percussa fuerat ad urinam mittendam nimis forti, qui urinae

---

20) *ibid.*

limpidae in magna copia excretae non cedebat; sed irritabilitas vesicae semper adaugebatur et brevi post per organa uropoetica sanguis arterius non parciter excerni incepit et per duas hebdomades perstitit donec per aequam medelam sublata est; unde aegra pristinam valetudinem recuperavit. Sed mense solo praeterlapso symptomata icteri et vomitus biliosus apparuerunt et dolor obtusus, qui et prius percipiebatur, et tumor, qui sub pressione fortius dolebat et pulsare videbatur, latus dextrum invaserunt; medelae tamen justae denuo cesserunt. — Mensibus vero tribus praeterlapsis et symptomata biliosa et haematuria denuo prorumpunt; tumor increscit, in dies fortius pulsare videtur et, a costarum margine inde posteriore, cristam ilei tendit. Et sic porro icterus et haematuria per varia intervalla spatio  $3\frac{1}{2}$  annorum ingruebant, omnibus insultabant remediis et varium tempus perstabant, donec cursum suum fecisse viderentur; interea tumor accrescebat, sic, ut fere totum abdomen occuparet, fortiorem in dies edebat pulsationem et majores provocabat dolores; status aegrae peior reddebatur et mors ab hectice secuta est.

Sectio cadaveris. Ren dexter, 11 et quid superest libras gravis, visceribus omnino dislocatis, cavitatis abdominalis maximam partem explebat, nam pars ejus inferior fossae ilacae inerat, dum superior hepatis superficiem inferiorem tangebatur. Tota substantia ejus in tumores varie magnos permutata erat, excepta parva portione, quae adhuc integra erat. — Quorum in majoribus cavum inveniebatur, sacco peculiari

inclusum, et coagulo impletum, quod Hjjj ponderis erat et e stratis concentricis variae consistentiae constabat, iis, quae in aneurismatibus occurrunt, non dissimilibus; mediae vero cavi hujus parti fluidi puri, sanguini dissoluto analogi, octarii duo inerant. Saccus, quo cavum obducebatur, tum e tunica peritoneali conformabatur, tum e tela cellulosa renis ipsius iucrasata; superficies ejus interna lacerata floccosa erat et e lympa coagulata magnaue copia vasorum tenuium longorum constabat. Caetera renis pars, ut dixi, in tumores discedebat, qui erant varie magni, vel immo hic illic  $2\frac{1}{2}$  poll. in diametro metiebantur, propriis capsulis injacebant et structuram lobulatam placentae recentis, sanguinem coagulatum et lympham, in foccos discedentem, in imis praebant. — Venae majores substantia cerebrali, quae cum lympa et sanguine mixta erat, impleta erant. Aorta abdominalis parva erat, sed arteria renalis tum in truncis, tum in ramis, carotidum magnitudinem assequabatur; ramus ejus alter in una, alter vero in alia sacci superficie distribuebatur, licet per anastomoses innumerabiles inter se conjuncti essent. Ren sinister fere totus in massam encephaloideam, cui magnus vasorum capillarium numerus inerat, permutatus erat.

## Observatio XII.

(Lobstein l. c. B. 1. p. 409.)

Pedisequus, 29 annos natus; temperamento cholericum, valetudine debile, onania exhaustus, annum 18 agens tumorem, qui dorso incresecat, exstirpandi curam egit. Annis 10 praeterlapsis eidem loco alius tumor increvit, qui 8 mensium spatio volumen insigne adeptus est et brevi post, cute exfoliata, disrupta, fluidoque sanioso magna copia effluxo, in corpora fungosa et tuberculosa discedere incepit. Quo facto, marasmus, oedema pedum, tumefactio glandularum inguinalium, tussis, febris hectica, diarrhoea et mors, 2 annis post tumorem natum reiteratum praeterlapsis, secuta sunt.

Sectio cadaveris. Organa interna omnia erant incolumia. Tumor cum aponeurosi latissimi dorsi ope telae cellulosa lamellosa concresecbat, 22 poll. circumferentia, 6 poll. verticali, 6½ poll. in transversa diametro metiebatur et 3 libras gravis erat. Ejus ad interiora vas satis magnum, quod inter vertebrae lumbalem ultimam et os sacrum exiit, tendebat. Constabat vero tumor ex lobulis 3—4 majoribus, qui per sulcos non profundiores invicem separabantur, ex substantia modo compacta et lardacea, modo cartilaginosa formati erant, et, cum proprius ad superficiem et cutem exulceratam accederent, molliores et fungosi evadabant; vasa illis plane deerant. — Medulla spinalis sana erat, sed in dura matre concrementa plana, fi-

broso-cartilaginea, lentis magnitudine, inveniebantur. Lordosis a decubitu.

## Observatio XIII.

(Lobstein l. c. ibid.)

Sexagenarius, per 20 annos portabat tumorem, qui spinae dorsi insidebat, ab ultima vertebra colli inde ad regionem lumbalem dirigebatur, 2que pedes et 5½ pollices in circumferentia metiebatur et libras undeviginti gravis erat. Si aegri testimonio fides cedenda, tumor hoc tempore bis ruptus serum abundanter largiebatur. Operatione feliciter a cel. Lobstein peracta, repertum fuit, tumorem hunc sacco carnis et ex alba, consistente substantia, quae in lobulos variae formae per loculamenta fibrosa discedebat, constasse; superficiem venas ramificatas et vasa capillaria dilatata pervagari et in media parte focum adesse seroso-purulentum, cui parietes intense nigri et fere ossei erant.

Similes casus referunt Loder (21), Bayle (22),

21) Journal für die Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneik. 1. B. p. 65.

22) l. c. p. 296. ex Traité sur la carote, p. Dr. Bidaud. III. obs. X. p. 387.

Lobstein (23), Morgagni (24), Lieutaud (25),  
Bianchi (26) aliique.

---

- 23) l. c. p. 409.  
24) De sedibus morborum, epist. 50. n<sup>o</sup> 41.  
25) Hist. anat. medic. T. 2. p. 315.  
26) Histor. hepat. Edit. tert. T. 1. Genevae. MDCCXXV.
- 

## SECTIO SECUNDA.

### Aetiologia tumorum compositorum.

In hac opusculi nostri parte altera de causis tumorum compositorum disserere volumus, tum proximis, tum remotis.

Quae vero attinent ad illas, de processu vitali, qui hunc morbum in organismo provocet, alleat et sustentet, non levis erit disquisitio. Nam substantiarum quidem plasticarum morbosarum origo admodum alta caligine mersa est. Auctorum de hac re altera alteram refutant.

Ii, qui Pathologiam humoralem sequebantur, omnia producta morbosa (quorum et tumores compositi sunt) ab obstructione et condensatione vel emolitione, quae per fermentationem internam producatur, derivare volebant. Sed haec explicatio manca et falsa morbum non enucleavit, nam, si producta plasticae telae condensatione, unde tum hae provenire debeant? — Serius accusabatur actio venenorum peculiarium et agentium specificorum, quae Systema lymphaticum corripiant, virtutes ejus vitales immutent, lympham morbose alienent. Cum ars medica in dies excoleretur nomina: venenum et agens


specificum vocibus dyscrasiae, diathesis etc., quarum insignis numerus excogitatus erat, locum cesserunt, sed res nihilo clarior facta est. — Tunc et illa Theoria, tumores omnes esse mala parasitica, quae adhuc a Paracelso proclamata, postea vero a cel. Kluge, Bettschler (27), Hasse (28) aliisque vehementer adoptata fuit, quacque arti medicae nocbat, nec praxi proderat, non est probanda. Nam si prima lex est, ut cum solo materno vel parte, quo increscant, fabrica et natura conveniant mala parasitica (29), cur uni eidemque parti eorum multae (Vid. Observ. II—VI. XIX.), vel demum omnes (Observ. I.) species increscant? — Nec meliora audit illa opinio, quae a celeberrimis artis medicae cultoribus Franco-Gallicis, ut Broussais (30) quique eum secuti sunt, proclamata et postea a cel. Panizza (31) et Donegana repetita est, secundum quam omnia producta heteroplastica, omnes formationes organicae vitalitate exaltata, quae vel inflammationis (Panizza), vel

- 
- 27) Rust's Magazin der gesamt. Heilkunde. XVI. Heft 2. Berlin. 1824. Ueber den Markschwamm p. 191—226
  - 28) Dissertatio inauguralis De fungo medullari. Berolini. 1823.
  - 29) Schroeder van der Kolk. Observations anatomico-pathologici et practici argumenti. Fasc. 1. Amstel. 1826. Intr. p. 49 Rust's Magazin. ib. p. 213. p. 215.
  - 30) Examen des doctrines médicales. T. 1. proposition 179. 180. 184. 188. 195.
  - 31) Ueber den Markschwamm des Auges, v. Bartholomeo Panizza. 1826. übers. in Weimar. 1828.

subirritationis (Broussais) formam assumat, parentur. Nam cur desint signa inflammationis, si inflammatio, et praecipue ea plastica, in organo nobiliori praesto sit, cur inflammatio aliter non in fungum medullarem vel cancrum vel tubercula vertatur, quomodo causa una eademque in eodem substrato producta varia format? — Et licet veritatis propius accedat, tamen adhuc jejuna et manca est opinio, quam cel. Ph. a Walther (32) et postea Nisle (33) (Potestampii) in lucem protulerunt, tumoribus plasticis morborum origini albumen et fibrinam esse, causam vero — harum materiarum ad organisationem nisum, cujus ope massa organica vel in textum analogum vel, si a tramite recta aberrat, in productum spurium transeat, h. e. organum peculiare formet, cui systema proprium, potentio assimilans, integritas et sui conservatio insint. Ut breves simus, tum argumenta a Theoriae fundatoribus in medium prolata, tum, quibus Theoria refutatur, silentio praeterire debemus. Dici tamen licet, hanc opinionem veritati propius, quam omnes alias, accedere.

In organismi humani vita interna observanda videmus, quodvis organum viribus, tum totius organismi universalibus, tum propriae vitae, obtemperari. Quarum aequilibrium sanitatem

- 
- 32) Graefe u. v. Walther Journal für Chirurgie u. Augenheilk. B. V. Heft 2 u. 4. Ueber Verhärtg. Sciahus etc.
  - 33) Horn's Archiv. 1829. Heft 5. Beiträge zur Lehre vom Krebs u. Markschw.



profert; si vero vitalitas in quodam organo exaltatur, aequilibrium tollitur et revolutio in oeconomia universa palam prodit. Qui status triplicem immutationem secum ducit, quod vel nutritione organi, vel sensibilitate ejus, tum demum irritabilitate efficitur.

Nutritione plane immutata et forma et volumen et structura organi perversa esse solent. Tali modo haud raro observamus in organismo evolutionem adauctam organorum, quae ceterum nullo morbo afficiuntur. Sic extremitas altera duplo nonnunquam magis volumen, quam altera habet (34), vel hepar infantis tam magnum increscit, ut partus impediatur (35), vel mammae foeminarum molem tantam sibi adsciscunt, ut etiam ad genua protrahantur (36), vel cor praeter naturam amplificatur, ut bovini ducat nomen, vel alia quaeque organa, sine ullo morbo praegresso, increscant. Quem statum hypertrophiae nomine designare et a nutritione adaucta derivare auctoribus placuit.

Hypertrophiae signum diagnosticum incrementum voluminis esse solet, condensatio textus, adaugmentum ponderis, permutatio formae et absentia (37) symptomatum, quae morbum denotant. Organum enim nequaquam mutatur, virtutes ejus organicae et functiones incolumes

34) Lobstein. B. 1. p. 46.

35) ib. p. 48.

36) Hufeland's Journal für practische Arzneyk. B. 13. St. 1. p. 82. T. 1.

37) 'Andral' T. IV. t. 11. Observ. XIII. XXI.

restant; nam incretio massae ejus non a causa morbosa venit, sed quoniam nutritio, non virtute, sed tantum gradu alienata est. Unde partes in substantia sua magis exoluntur ac aequo gradu increscunt.

---

## Observatio XIV.

### Hypertrophia cerebi.

(Archives générales de Médecine. T. VII. p. 31.)

Infans, 5½ annos natus, caput habebat, quod adulatorum est; sed incresebat hoc organum paulatim et magis a tergo, quam a fronte; omnes functiones intellectuales bene procedebant et intellectus aetati par erat, sed in situ quieto infans facillime in somnum profundum incidebat et in incessu propter majus capitis pondus saepissime labebatur. Diem obiit supremum ab enteritide aucta. — In necropsia refertum est, cranii parietes tantillo fortiores fuisse, quam solitum, cerebrum vero vehementer excultum, praecipue in ea parte, quae ventriculis supersedet, dura mater strictissime ossibus cranii adhaerebat (38).

In aliis casibus non totum organum nutritioni adauctae succumbit, sed quaedam pars tantum ejus. Quaeque duplici ratione procedunt:

---

38) Conf. Sims — in Medicin. Chirurg. Zeitung. 1836. № 12.

1) Seu pars quaedam organi praecipue excolitur, dum vero caeterae partes in eodem statu perstant et nil in organo immutatur, praeter formam, quae in aliam speciem abit. Tali modo non raro cornea in hypertrophiam transit, vel epididymis huic succumbit et sarcocelen format, vel hepatis lobulus sinister, vel calix renum, vel multa alia hujusmodi fiunt.

2) Seu tela quaedam organi, qua hoc partim conficitur, praesertim nutritur, dum aliae telae consuetae nutritioni morem gerunt. Hic jam structurae errores observamus: textura, olim consimili natura, speciem suam plane amittit, vel in granulationes rotundas exit, quae variae magnae sunt, et alia ab alia modo longe distant, modo invicem coeunt (39); vel in lobulos variae formae et magnitudinis discedit (40), vel in areolas efformatur et sic porro, fibrae autem substantiae quae in parenchymate organi cum aliis intermiscetur, si nutritioni adhaerent obtemperant, volumine suo naturam excedunt et consistentiam compactiorem, densiorem majoremque nanciscuntur; fibrae vero sanae, propter nutritionem diminutam, (in alias enim haec transfertur) in statum prorsus contrarium irruunt, qui atrophiae est, et cito omnino evanescent. Unde organum ad spectum normalem perdit, uniformius fit et evolutionem hypertrophicam ostendit. Tale exemplum videre possumus in observatione

---

39) Andral. l. c. T. W. t. 11. Obs. XVI. XVII. XXI.

40) ib. Obs. XVIII.

sequenti, ubi substantia medullaris cerebri tantopere exculta esse videtur, ut systema cerebri sanguineum profecto exhaustiretur.

## Observatio XV.

Hypertrophia cerebri cum anoemia.

(Andral l. c. T. V. p. 427—430.)

Juvenis, 29 annos natus, constitutionis robustae, per 12 annos capitis dolore vexabatur, qui per 24 horas durabat et postea evanuit; caeterum prorsus sanus erat. Anno vero ultimo cephalalgia multo pejorem assumpsit characterem, perpetua enim facta est totumque caput, in primis vero tempora et regionem frontalem, occupabat. Et brevi post motus involuntarii, convulsiones et dolores extremitatum superiorum apparuerunt, quibus sublatis sensus lassitudinis exstitit. Mors.

Sectio cadaveris. Superficies cerebri exterior mirandum in modum apparuit, spatia inter gyros evanuerant, gyri inter se ita compressi, ut eos amplificatos esse per impressiones extinctas dixeris. Nec ulla gutta serositatis in arachnoidea et dura matre inerat; immo ventriculi quoque, quorum parietes satis arcte inter se conjungebantur, ea prorsus carebant. Substantia nervea colorem suum et densitatem immutaverat; color substantiae corticalis cinereae ab albo, qui medullari massa proprius est, distingui non poterat;

eadem alba, profecto exsanguis erat, nec ullius vasis orificium offerebat. Tum substantia grisea, in internis partibus sita, ut in thalamis optici et corporibus striatis, paene decolorata erat. Consistentia pulpac cerebrealis, albumini ovorum cocto non dissimilis, elasticitate summa praedita erat. Caetera omnia sana inveniebantur.

Cum ad eum gradum pervenerit nutritio organi exaltata, ut omnia reliqua a tela hypertrophica submota sint, nec nisus ejus retinetur, majori vi agere incipit; nam quo amplior massa, eo vehementior actio fit. Sed substrato actionis alio, quod hypertrophia illa in molem suam convertere possit, jam sublato, actio ejus ad se ipsam revertitur. Non vero, ut prius, in voluminis, sed e contra consistentiae evolutionem adaucta nititur. Hic enim, aequilibrio nutritionis perditio, partes quaedam telae hypertrophicae multo majorem praecaeeteris nutritionem ducunt. Substantia earum, quae quondam eundem gradum evolutionis, ac caeterae partes hypertrophicae, assecuta erat, nunc densior fortiorque evadit et permeat omnes pedetentim gradus densitatis, quae in organismo sano occurrit, immo nonnunquam eam excedit. In observatione praecedente jam vidimus, pulpam cerebralem ovorum albumini cocto parem factam fuisse; si vero hypertrophia adhuc perstat substantia organica fibrarum vel tendinum densitatem adipiscitur (41), deinde cartilaginis instar fit (42), tum demum in os (43)

41) Andral. l. c. Tom. V. p. 435 — 436.

42) ib. p. 431 — 432. p. 242.

43) ib. p. 510.

transformatur, cui varia durities inesse solet. Tale exemplum, inter caeteros viros doctissimos, refert nobis Dr. Burnet (44), ubi substantia cerebri Gummi arabico sicco aequalis facta est, gravitatem duplo majorem, colorem magnopere album praebibat; nervi vero optici in cartilagine permutabantur.

Tali modo hypertrophia decurrit, si vitalitas partium bene a nervis regitur. In quibus, ut jam supra memoravi, evolutiones partis majorem siue ulla mutatione qualitatum ejus vitalium videmus. Alio vero modo res se habet, si actio nervorum perturbatur. Nam nervi organismi humani non solum sensibilitate excellent; sed vis ipsa eorum organorum omnium functionem gubernat nutritionique totius organismi praeest. Jam dudum experimentis institutis (Gendriksz Prof. Chir. Groning, cujus experimenta vid. in Schroeder van der Kolk l. c. p. 9., Tiedemann) compertum factum est, organa nequam conformari, si nervi iis desunt. Conformatio vero vitiosa esse debet, si nervorum functio turbatur. — Non pauca exempla nobis demonstrant, nervorum actionem fortiter in nutritionem influere; sic v. c. videmus scirrhum, cum dudum idem manserit, per animi pathemata celeriter in carcinoma abire (45); vulnera quidem benigna, propter animi turbationes, pus malignum, ichorosum secernere (46), immo nonnunquam in

44) Journal hebdomadaire de Médecine. T. V. p. 265.

45) Vitringa Coulon. Dissert. de mutata humorum indole: (ap. Schr. v. d. Kolk.)

46) Schroeder van der Kolk. l. c. 48 u. 49.

gangraenam transire (47); partes paralyti obtentitas emarciari (48), partim ossificari (49), sanguine nigriori abundare (50). Sic exemplum legimus in Medicinae annalibus, e quo elucet, nervorum actionem male directam vim magnam in organorum evolutionem exercere.

---

### Observatio XVI.

Tabes in habitu corporis universalis.

(Lobstein l. c. p. 71.)

Juvenis, 22 annos natus, constitutione sana erat, praeter alvi obstructions et colicas nervosas, quibus saepe obtenebatur. Moerore afflictus propter res malas familiares, aeger in melancholiam ruebatur et in hoc statu, cum ab alvi obstructione denuo correptus esset, consilio desperato usus est; alvum enim suam maxima ciborum copia implevit, qua illam moveri putabat. Quo facto dolores atroces statim sensit, ac, quasi intestina sua disrupta fuisse et fortunae suae adversae se ipsum auctorem fecisse, infelix

---

47) Langenbeck. Nosologie und Therapie der chirurgischen Krankheiten p. 92.

48) Lobstein. l. c. p. 79—80.

49) Vid. Observ. XVIII.

50) Arneemann. Ueber die Regeneration der Nerven. p. 48.

secum putabat. Jam marcor et debilitas maxima in eum incessit, nullus appetitus ciborum erat, eoque magis, quod digestio dolores provocabat intolerabiles; alvus rarissime movebatur, vires in dies labebantur, pulsus semper debilior, lentior, minor reddebatur, manibus pedibusque color violaceus inerat et frigus perpetuus, facies monstrose deformata, cutis intensa, buccae lapsae, labia exsiccata nec dentes obtegere poterant. Quo morti propior aegrotus, eo gravior marasmus: orbita circulo nigro profundo, cui palpebrae illapsae erant, cingebatur; oculi a palpebris non obtegebantur, unde cornea opaca facta est; pulsus manuum silebat et cor ipsum infirme pulsabat, respiratio debilis erat, sed bene loquebatur et functionibus intellectualibus vigebat aeger.

Sectio cadaveris. Pulmones pallidi, plane exsanguis; pericardium tantillum seri continet; cor parvum, ( $\frac{2}{3}$ vj pondere, 5" 4" longitudo, 2" 5" latitudine), pallidum, ventriculis coarctatis, sanguine prorsus carentibus, tam album, sicut post abluitionem aqua tepida multoties repetitam fit, omentum adipe carens; vesica fellea vacua; splen parvus ( $\frac{2}{3}$ j pond., 3" long., 2" latus). Anaemia fere completa: spleni, pulmonibus, cordi et venis jugularibus nec una sanguinis gutta. — Sed textura omnium organorum sana, nec ullum signum morbosum inventum, praeter ventriculi constrictionem partialem quae in tunica musculari locum habebat.

Animadvertimus porro, nervorum vim immutatam, si cum nisu hypertrophico jungatur, formationes plasticas vitiosas producere valere.

Materiae, parti nutriendae dicatae, quae viribus sani organi in ejus substantiam transformari deberent, propter vitiosam nutritionem, vel depravatam vim formatricem, ne dicam cum cl. Bichat vasorum nutrientium exhalantium sensibilitatis erroneae causa, pravam indolem assument ac in producta morbosa transformantur, quaeque tum organismo consimillima sunt (substantiae homöoplasticae Lobsteini, producta plastica accidentalis), tum vel plane ab eo abhorrent (substantiae heteroplasticae Lobsteini, producta plastica morbosa).

### Observatio XVII.

Autopsia foeminae 50 annos natae, quae per 6 annos et ultra pedum paralysi laboraverat.

(Schr. v. d. Kolk I. c. Introd. p. 8.)

„Emaciatio pedum nulla, vasa naturalia, nutritionis vero turbatae signa multa apparebant; musculi enim superioris corporis partis et brachiorum naturales erant atque sani, ad primam vero lumbalem vertebrae longissimis dorsi, musculi interspinales, omnesque pedum musculi in speciem pinguedinis flavescens degeneraverant, ita, ut glutaei vix ullo modo, nisi tendinum insertione a pinguedine cingente possent distinguui; in recto cruris quaedam fibrillae per pinguedinem decurrebant; gastrocnemii naturalem fibrarum decursum sine ulla pinguedine conser-

vaverunt, sed flavi pallidique erant; pinguedine autem subcutanea ubique effusa nulla pedis emaciatio apparebat, quin et musculorum magnitudo non immutata visa est.“

### Observatio XVIII.

Autopsia foeminae paralyticae 40 annos natae.

(Ibid. p. 7.)

„Fibrillae nerveae pinguedine interposita a semet invicem erant separatae; musculi cruris naturales erant, in tibia vero et pede magna emaciatio musculorum erat, eorumque fibrae pinguedine erant intextae pallidiorisque coloris; vasa, et imprimis arteriae a poplite inde non tantum valdequam erant angustiora facta, sed et penitus osse incrustata ita, ut tubos ossis referrent potius, quam arterias, licet per reliquum corpus nulla vasorum ossificatio erat.“

Hujusmodi et similibus edocti, formationum spuriarum causam proximam in nutritione adacta, quae a systemate nerveo perperam gubernatur, ponimus. Quae explicatio autem causis remotis tum occasionalibus, tum praedisponentibus confirmatur. Ad has pertinent omnia, quae et nutritioni adauctae favent et nervorum actioni colorem morbosum induunt (v. ut cel. Reil placuit, intemperiem nervosam producant), et prae caeteris:

1) *Aetas.* — In genere aetas protracta praecipue favere videtur systematis gangliosi, quo nutritio in organismo regitur, immutationi morbosae; unde manifestum fit, cur tumores plerumque adultos et senectuti pronos arripiant.

2) *Constitutio individualis.* Haec si cachectica est, vel lymphatica, vel atrobiliaris, vel alia, in quo systema lymphaticum praecipue excultum est, vel nisus praevalet ad exsudationes serosas et profluvia pituitosa, non potest, quin ad causas, quae formationi heteroplasticae succurrunt, pertineat.

3) *Vitae ratio.* Et haec non parum contribuit ad producta spuria in organismo provocanda, cum ab ea et nutritio et nervorum actio immutari possunt. Tali modo vita sedentaria, virium intensiones nimiae (51), motus parvus, animi pathemata deprimentia, nutritio luxurians, obesitas, omniaque, ut breves simus, quae scrophulis oriundis adjuvant, et productionibus heteroplasticis favent.

4) *Indoles organi.* Licet in omnibus, quotquot sunt, organis massae heteroplasticae et tumores dissimiles formentur, nec locus peculiaris hic [ut Lobsteinio placuit (52)] designari possit, attamen structurae varietas efficit, ut quaedam partes ad hos morbos praecipue pronae sint, cum vero aliae ab iis nunquam frequentantur. Illuc spectant partes laxae, structura composita, succus scatentes, a vicinis parum ta-

51) Ut e. g. in *Observ. XII.*

52) l. c. p. 383—384.

ctae etc. ut hepar, omenta, pulmones, peritoneum, cerebrum etc, huc quoque organa referri debent, quibus structura compactior et magis aequalis est.

5) Permulti morbi chronici etiam ad causas praedisponentes adnumerari possunt, cum ab iis et nutritio et nervorum actio immutentur. Hic eminent labes scrophulosa, chlorotica (53), arthritica, atrobiliaris, haemorrhoidalis, phthisica caeteraque.

Ad causas occasionales omnia momenta pertinent, quae activitatem morbosam plasticam ad organum quoddam alliciunt, dum nempe vitalitatem ejus morbose adaugent, vel inflammationis vel irritationis auxilio. Talia sunt imprimis injuriae externae, quibus organa affliguntur; nam non raro productiones heteroplasticae ab ictu, contusione (54), vel immo vulneratione organorum emergunt, nisi nimis profunde in organorum internis nidulantur; — tum et animi pathemata, dum systema nerveum percellant, ut ira, moeror etc.; nec non demum morbi organici varii, praecipue si ab externis ad interna deponuntur (55), in hac ratione multa valent. Tali modo emergit heteroplasia ex haemorrhoidibus intususceptis (56), ex autematibus tum acutis (57), tum chronicis (58), retro pulsus, ex

53) *Observat. ultima.*

54) *Obs. II. et VI.*

55) *Obs. X. obs. 1. etc.*

56) *Obs. 1.*

57) *Andral. l. c. T. 11. p. 49 (tubercula a rubeola.)*

58) *Dr. Luyol l. c. (tinea capitis.)*

haemorrhagiis suppressis, syphilide (59), arthritide, rheumatismo (60), scrophulis (61) etc.

Iis, quae enumeravimus, in organismum agentibus, jam data ad heteroplasin praedispositione efficitur, ut massa organica, ad organa nutrienda excolendaque propria, speciem habens alienam neque virtutes solitas, indolem nutriendi amittat, ab organo non desumatur et libera jaceat. Nisus formativus, qui ei inest, accrescere eam jubet ad damnum partium nutritivum earum, quae organa vel jam insunt vel advehuntur; qua re massa illa, quae quondam moleculae speciem praebat, tum sensim sensimque in tumorem formatur et, vi sibi propria adeptae, jam cum iis partibus, quae finitimae sunt, luctatur. Nisus formationis, licet vitiosus, tumori in dies majores vires et uberiores materiam adfert; totius vero organismi vires eum, ut corpus alienum, vel in suam naturamvertere vel ex organismo prorsus ejicere, nituntur. — Haec est causa omnium permutationum, quae in tumoribus plasticis observantur. Quam ob rem, dum organismum formationem spuriam in proprium aliquod permutare studet, provenit, si studium hoc morbosam vitalitatem vincit.

1) Transitus tumoris in formam benignio-

---

59) Vid. Rust's Magaz. d. Gesammt. Heilkun. XIII B. 1823. II. 1. Medicinisch-chirurg. Beobacht. u. Bemerk. v. Dr. G. Wedemeier. p. 23. — Graef's u. Walther's Journ. d. Chir. u. Augenheilk. 1823. V. Band. IV. II. p. 571.

60) Obs. VII. IV.

61) Nisle I. c. Obductionserichte. 4. p. 829—834.

rem. Nam in cancro et fungo medullari, in ulteriores decursu, nonnunquam substantiae organicae naturae similiora enascuntur, ut massa adiposa, ossa, cartilagineae; vel immo vasa prorsus nova formantur, vel etiam massa heteroplastica magis magisque indolem sibi benigniorem adsciscit, ut denique in substantiam mediam, neutram, convertatur.

Sic porro nisus organismi productum morbosum expellendi (travail éliminatoire) nituntur:

2) Progressus tumoris ad superficiem organi, unde exfoliatio, absortio et disruptio cutis, vel aliorum, quibus ille tegitur.

3) Emollitio, cui quivis tumor in ulteriores decursu suo succumbit, nam in forma fluida facilius amoveri potest. In nonnullis emollitio haec in liquefactionem veram transit, ut in melanosi, tuberculis, ita, ut per se exeant.

4) Inflammatio in finitimis partibus, qua natura benigna productum morbosum vehementiori vi expellere conatur. In cancro fungoque tum haematode, tum medullari, inflammatio haec in luxuriationem telae cellulosaee tumorem ambientis, vel efflorescentiam, discedit.

5) Inflammatio in tumore ipso, suppuratio, exulceratio et delapsus partium, qui non raro per intervalla in fungis et cancro provenit.

6) Formatio sacci, si productum plasticum nec amoveri, nec in massam organismi converti potest.

Sed ex alia parte nisus formativus morbosus, tumori innatus, una cum incremento ejus, semper majorem vim exercet, vitalitate finiti-

marum partium exaltata adjutus, quas ille legibus suis subjungere studet. Et hic luctus tam diu perdurat, quoad tumor viribus organismi cedat, aut hic e contra a tumore vincatur.

Eodem modo explicarem originem et decursum tumorum compositorum ea tantum differentia intercedente, quod hic vis nerveae alienatio multo gravior majorque visa fiat.

Scio fore plerosque, qui opinionem hanc denegent et forsitan sequentibus nitantur:

1) Quod decursus tumorum compositorum nonnunquam rapidus sit, cum hypertrophia lente decurrere soleat. In observ. IV. et I. nosmet attulimus, morbum tantum 5 — 4 hebdomades durasse, donec tumor paene totum abdomen impleret et mortem induxerit. Sed non desunt hypertrophiae, quae spatio quarundam tantum horarum summum gradum assequantur. Cujus rei exemplar cl. Andral (62) nobis refert, duos fusores plumbarios, saepe colica saturnina affectos, caeterum vero prorsus sanos, repenter a convulsionibus, quae totum corpus percurrerant, resolutis omnibus membris et comate correptos fuisse et post horas 24 morti occubuisse; in necropsia vero hypertrophiam cerebri completam, eandem ac in Observ. XV. enarratam, inventam fuisse. Similem decursum hypertrophiae acutum refert nobis cel. W. Hey (63) in puellae 14 annos natae morbi historia, ubi a

---

62) l. c. T. V. p. 436.

63) l. c. p. 367 — 369.

menstruis refrigerio suppressis mammae ejus post dies nonnullos adeo volumine accreverant, ut pubem tangerent et gibbositatem pondere suo provocarint, cum mamma sinistra amputata paene Hixi adaequaret et loco unius glandulae e multis componeretur.

2) Quod in tumoribus dissimilibus nulla mutatio Nervorum observata sit. Sed vitia vis nerveae non sunt materialia, vel quae sensibus nostris percipi possint; quae igitur non visa refulsari nequaquam possunt. Persaepe, ne dicam semper, nulla mutatio inventa est in cerebro, quod epilepsia vel aliis morbis nervosis affectum erat; num possit hic unquam vis nerveae error denegari?

3) Quod exitus tumorum compositorum paene semper lethalis sit, cum vero Hypertrophia vix ac ne vix quidem morbi nominis mereatur. Sed cum nullus morbus tollatur, donec causa ejus persistat, cur hic extinguere debet, si admodum persistit actis systematis nervi morbosa, quae semel provocata difficile auferri potest, quippe quae a producto suo sustentatur? Cel. Nisle plane errat, si tanquam causam exitus tumorum plasticorum maligni originem eorum e lymphae coagulabili, quae in oeconomia organica tam gravis momenti est, accuset (64).

4) Quod ex una causa (error vis nerveae) effectus varii (variae substantiae, quae tumorem compositum componunt) sequantur. Sed ne

---

64) Horn's Archiv. I. c.

dicam de innumerabilibus abalienationis varietatibus, quibus vis nervea subjecta esse potest, quaeque diversos effectus producere possunt; — quis explicabit, cur inflammatio modo in gangraenam, modo in indurationem, modo in suppurationem, modo in adhaesionem transea, cur stimulus unus idemque varie agat etc.

Disserui de tumorum compositorum formationis factoribus; de substrato, e quo illi formantur, ut dicam, restat. Quod brevius absolvam. Nam omnes formationes organismi a lymphâ coagulabili, quae in imis totius corporis humani sparsa est, originem suam ducunt; quaque producta illa morbosa fermentur, necesse est. — Pro hac opinione militant, quae infra sequuntur:

1) Incrementum tumorum rapidum, quod facillime e rapida lymphae formatione explicari potest.

2) Natura lymphae coagulabilis prorsus non dissimilis est virtutibus, quibus tumorum dissimilium germina excellunt. Nam in utrisque observamus colorem album, consistentiam ovi albuminis, tumquoque elasticitatem, pelliculiditatem etc. Et si chemicas analyses consulueris (65), in utrisque albumen praevalere inveneris.

3) Analogia eadem nobis docet; nam omnes formationes, quae in corpore humano pro-

---

65) Confer analys., quas Hecht Argentorati instituit, ap. Lobstein J. c. p. 323 Tuberc. anal., p. 345 Cancri anal., p. 367 Fung. medull. anal., et Archives generales de Médecine. Juin 1828.

veniunt, ab hac lymphâ originem ducunt. Ex hac cicatrix paratur, quae nil, nisi pseudomembrana inter vulneris labia, est, — tum granulationes, membranae, sacci, thrombus in arteriis deligatis et sic porro.

4) Tumores compositi inprimis organis, quibus vasa alba abundanter insunt, gaudent et saepissime glandulas lymphaticas ipsas obsident, in quibus lymphâ confluit et diutius permoratur. Systema vero hoc est, aedepol, sanguinis officina.

5) Eadem probant observationes quaedam felices, e quibus clare conspiciere possumus, originem tumorum plasticorum a systemate lymphatico duci. Cum e contra nullum aliud systema ab iis praecipue obsideri videtur. — Talia legimus in observationibus cel. Andral (66), Nisle (67), Lujol (68) aliorumque; taleque exemplum, in quo systema lymphaticum affectionum variarum plasticarum sedes erat, in clinico nostro Instituto vidimus. Quod hic volumus citare, ut opusculum nostrum coronemus.

---

66) l. c. T. II. p. 18, 19, 20, 21.

67) Horn's Archiv. Jahrg. 1829. Obductionsberichte. 4. p. 829 — 834.

68) ib. Sept. Oct. VII. Miscellen 6. p. 903 — 913.

## Observatio XIX.

(a Doctore Schwartz, nunc Rigae degente, descripta.)

Formationes plasticae in glandulis lymphaticis.

(Clin. Dorp. 1833. 1. Sem.)

D. J...., 15 annos nata, corporis constitutione laxa, a tumoribus pedum, tussi et epistaxi correpta fuit, quae, licet medela justa profligata essent, tamen post novum refrigerium denuo apparuerunt. Instituto medico clinico Dorpatensi inserta symptomata (chlorosis, quae in hydropem tum ascitem tum pulmonolem exiisse videbatur, praebebat et brevi post obiit diem supremum.

Sectio cadaveris. Glandulae colli lateris sinistri ab aure usque ad claviculam bulbose tumefactae et in massam homogeam opaco glaucam cum vasorum evolutione superficiali permutatae sunt, quae cum tumoribus, circa tracheam jacentibus, communicat; latere dextro glandulae modo inter claviculam et laryngem degeneratae sunt. — Glandulae inguinales externae tumidae, bulbosae, in massam homogeam, gelatina spissiore, permutatae. — Cavum pectoris. Cavum mediastini antici tela cellulosa, sero lutescente et adipe liquida infiltrata, implebatur; pericardium  $\frac{3}{4}$  — vj liquidum clari, flavi in fuscum vergens, continebat. Cor, volumine naturali, exsudationibus villosis concretis obsidebatur; camera sinistram parum sanguinis continebat, et parietibus palli-

dis non spissioribus circumdabatur; foramen ejus ovale prorsus clausum erat. Pericardio tumores insidebant: 1) Parti ejus anteriori, superiori, dextrae, insidebat cystis, quae  $3\frac{3}{4}$ " diam. longit., 3" transv.,  $\frac{3}{4}$  — 1" crassitie metiebatur, forma triangulari irregulari erat, basi sinistrorsum spectabat, apice vero suo in medium pulmonis dextri lobum intrabat et cum substantia ejus concresebat. Durities ei a superiore parte fere cartilaginea, in inferiori membranacea vel eadem, quae pericardio erat; color flavus, superficies gibbosa, granulosa; laminae duae, externa fortior, et interna, quae a pericardio discerni non poterat. Inter has laminas massae jacebant homogeneae, steatomosae, vel lentem, vel nucem magnitudine adaequantem; quibus, ubi pulmonem accrescunt, puncta cinerea inspergebantur; omnibus capsulae tenues propriae inerant, quae, ubi in pulmonibus jacebant, vasis evolutis instruebantur. In pulmonis substantia massae hae arctius inter se jungebantur et per restiformes incrassationes telae cellulosae cum glandulis, quae circa bronchium jacebant et tumefactae erant, communicabant. — Substantia tumoris ipsius homogea erat, colore flavo opaco, duritie steatomatosa, hic illic cartilaginea excellebat, sub scalpello clamabat; in ea vero parte, quae pulmonem concresebat, hic intexebantur massulae magis flavae, quae 1 — 1 $\frac{1}{2}$ " in diametro metiebantur, consistentiam variam praebebant, friabiles et sub pressione in massam grumosam, frustulosam, permutandae erant; et hic illic taeniis nigris melanoticis vel circumdabatur, vel intexebantur.

Prope bronchum cavitas jacebat, 3" in diametro, colore flavo-sordido, substantia molli, grumoso-frustulosa. — Per hunc tumorem, quem descripsimus, arteria pulmonalis cum suis 3 ramis permeabat et a massa morbosa stricte circumdabatur.

2) Prope praecedentem tumorem, sinistrorsum, origine sub arcu aortae sumpta, ad tracheam tendebat alius tumor, qui 1" latus,  $\frac{3}{4}$ " crassus, 2" et quid ultra longus, gibbosus erat et in 3 partes dividebatur, quarum quacvis a capsula tenui membranacea, quae vasa injecta praebat, circumdata erat, dum totus tumor cystidi soli inerat. Substantia ejus praecedenti par erat, modo durior, fortior et rubrior. Exploratione accurata instituta manifestum erat, quamvis partium, e quibus tumor constabat, denuo in 6 — 8 portiones discessisse, quarum quaelibet a capsula tenuissima obtegebatur. Partes tumoris dexter cum primo tumore concreverat.

3) Tumori secundo tertius, irregulariter quadrangularis,  $1\frac{3}{4}$ " longus, 2" latus, 3 — 4" crassus, 2"  $\frac{4}{4}$ " in maxima diametro metiens, accretus erat, et modo in uno loco, qui lineam non excedebat, proprio pariete ab eo dividebatur. Hic pericardium non tangebatur, cystide circumdabatur, tribusque e massis constabat, quarum cuivis propria cystis, volumen unum idemque sicuti forma. — Parte inferiore tumor e massa homogena lardacea, tum cinerea, tum sordide flava, quam supra descripsimus, constabat, apice vero mollis, friabilis erat; parti

ejus inferiori inerant in magna copia corpuscula flava, sordida, hic illic friabilia, grumosa.

Omnes, quos hic descripsimus, tumores cystidibus suis simul concresecabant, unde solum corpus representare videbantur, quod  $\frac{1}{2}$ " sub centro pericardii magis ad dextram incipiebat, una parte sua, arteria pulmonali circumdata, in pulmonis substantiam permeabat et hoc loco cum glandulis bronchialibus degeneratis jungebatur, tum demum pericardio accretum sinistrorsum et superius tendebat et, aorta illaqueata, 2" sub arcu ejus finiebatur.

4) Parti pericardii posteriori superiori, sub bifurcatione tracheae, tumor sphaerico-triangularis insidebat, qui apice suo inter bronchos tendebat,  $1\frac{3}{4}$ " longus,  $2\frac{1}{2}$ " basi latus, 4 — 5" crassus erat, venis pulmonalibus laxè adhaerebat et apice suo stricte cum bifurcatione tracheae conscresecbat. Cystis ejus tenuis erat et a tergo ramis plexus pulmonalis posterioris valde evolutis 4 obtegebatur; superficies ei gibbosa erat, contentum sordide flavum, steatomatosum, quod in superiore parte massae melanoticae, in inferiori corporibus obscure flavis, friabilibus, nucem juglandem magnis, intexebatur. Substantiae ejus nulla, multa vero cystidi vasa inerant.

5) Tumoris praecedentis angulo sinistro inferiori,  $\frac{1}{2}$ " sub bifurcatione tracheae, accrescebat tumor, qui 2" longus,  $\frac{3}{4}$ " crassus, rotundus, restiformis erat, in inferiori decursu tenuior reddebatur, cum diaphragmate stricte concresecbat et cystide, vasis instructa, forma-

batur, cui massa steatomatosa, cum punctis nigris ubertim intertexta, inerat.

6) Superfici tracheae dextrae,  $\frac{3}{4}$ " sub larynge, insidebat massa inaequalis, bulbosa, gibbosa, quae usque ad bifurcationem tracheae tendebat et hoc loco broncho sinistro increcere videbatur,  $1\frac{1}{4}$ " crassa erat cystideque circumdabatur et cum tumore primo concresebat. Cystis vero tenuior in ea superficie, quae tracheae adhaerebat, fortis a tergo, fortissima et paene cartilaginea a fronte erat; et superiori parti sua ope telae cellulosae, in tumorem resistiformem redactae, cum glandulis colli tumefactis coalescebat. Constabat tumor e massis quatuor, quarum maxima broncho, a quo per nervum vagum distabat, minima vero laryngi insidebat; ambae capsulis peculiaribus inerant et substantiam, quam prius descripsimus, cum massis flavis et in inferiore parte melanoticis reserebant. In duplicatura cystidis communis in apice tumoris latebat in propria capsula massa fabaeformis, quae laryngem versus et retro tendebat,  $1\frac{1}{2}$ " longa,  $\frac{3}{4}$ " lata,  $5$ " crassa, nec non aequalis, alba, mollis, steatomatosa erat et per appendicem in tumorem r. permeabat.

Superficies tracheae sinistra superior tumoribus parvis, glandulosis, qui cum glandulis colli tumefactis iungebantur, obsidebatur. Qui ad locum, ubi aorta brouchum sinistrum transit, nucis juglandis magnitudinem assecuti erant et ubique substantia nigra scatebant. Uterius bronchus sinister, jam ubi in substantiam pulmonis intravit, a glandulis bronchialibus insigniter (ad nucis juglandis magnitudinem)

tumefactis, abducebatur, quae magna copia nigrae et parca quantitate flavae substantiae impletae erant. Bifurcationi bronchi sinistri aliud corpus insidebat, quod ovi columbini magnitudinem adaequabat, propria cystide includebatur, duritie cartilaginea excellebat, e massa aequali, steatomatosa, obscura, cum substantia nigra, quae radiatim disposita erat, intexta, constare videbatur. Nec non ramo cuidam bronchiali, qui in lobo pulmonis versabatur, massa accreverat, quae summe dura cultro insultabat, lentisque magnitudinem et substantiam nigram decussatim dispositam praebebat. Spatium, cui omnia haec insidebant producta,  $1\frac{3}{4}$  — 2 poll. cubic. latum et  $5$ " cubic. crassum erat. Bronchiorum ramificationes tenuissimae sparsim tumefactae videbantur. — Bronchi dextri ramificationes tumoribus glandularum bronchialium sparsim circumdabantur, qui varie magni erant et plerumque massa flava, substantia melanotica circumdata, implebantur. Spatium, quod hae degenerationes occupant,  $3$ " in longit.,  $2$ " in latit.,  $1\frac{1}{4}$ " in crassitie metiebatur.

Saccis pleurae liquidi opaci, in brunneum flavi,  $\frac{3}{4}$  xvjijj inerant. Superficies hujus membranae inferior massas grumosas, obscure flavas,  $1\frac{1}{2}$ " profunde in substantiam pulmonis penetrantes, praebebat. — Pulmo sinister cum pleura costali et diaphragmate concresebat; lobi ejus per pleurae laminas concretas, inter quas massa gelatinosa splendens natabat, coaluerant. Lobo inferiori, parti inferiori lobi superioris et superficiei diaphragmaticae pseu-

membranae insidebant, quae e duabus laminis constare videbantur, interiore tenui, pellicula, et exteriori excrescentiis villosis oblecta. Inter pleuram et pseudo-membranam, quae pulmonis superficiem diaphragmaticam obtegebat, tela cellulosa jacebat indurata hypertrophica. Substantia pulmonis, pallide rubra, laxa, in inferiori superficie oedematosa erat; parenchyma ejus sero scatebat et in parte media, propter degenerationes, quas supra citavimus, impervia facta erat. — Pulmo dexter eadem retulit, sed pleura, quae superficiem ejus inferiorem tegebat, jam cartilagini par facta fuit; porro lobus ejus anterior superior cum pleura et tumore 1-mo pleurae hypertrophicae, ad 5" incrassatae ope, laxe jungebatur. Haec pleurae pars hypertrophica in interna sua superficie a massis rotundis obsidebatur, quae in pulmonem penetrabant, tum lentem, tum nucem magnae erant et massam steatomatosam, obscure flavam, melanosi non intermixtam, praebebant. Unde pulmonis pars 2" cubic. magna et 3 — 4" cubic. crassa impervia facta est. Ejusdem lobi in apice 6 — 8 massae tuberculosae, fabam magnae, laete flavae, friabiles sub pleura nidulabantur. Tumores pericardii et glandulae bronchiales tumefactae spatium aëri impervium 5" longum, 2" latum, 6" crassum in pulmonibus constituiebant.

Diaphragma gibbosum videbatur, nam inter id et pleuram massae variae magnae, ovi-formes, morabantur, quarum una ovo columbino par, cystide propria, vasis evolutis instructa,

inclusa erat et structuram praebebat aequalem, lardaceam, sine corporibus flavis et nigris.

#### Glandulae oesophagi tumefactae.

Cavum abdominis. In sacco peritonei librae duae et dimidia liquidi flavescentis, opaci, natabant; viscera ei inclusa, quasdam mutationes ab ascite perpressa, videbantur.

Extra saccum peritonei: Uterus parum exolutus, a cervice ad fundum 1" longus; vesica urinaria summe contracta erat et vix ac ne vix quidem unciam unam urinae fuscae continebat. Inter ventriculum et pancreas jacebant 15 — 20 tumores, qui tum lentem tum nucem avellanam amplae erant et per telam cellulosa restiformiter tumefactam in catenam coibant. Quibus eorum capsulam propriam, cui vasa rubra intexebantur, et substantiam homogeam, albam, duriusculam, cinerescentem praebebat. Cum hac tumorum catena per restiformes telae cellulosae incrassationes communicabat alia, quae ad vertebra dorsalem ultimam et lumbalem primam exoriebatur, e majoribus tumoribus constabat, cum columna vertebrarum descendebat, aortam abdominalem et venam cavam inferiorem comitabatur, eo loco, ubi aorta in ramos scinditur, bifurcationem passa erat et demum, vasis femoralibus comitibus, inguina tendebat. Catena dextra in lumbali sua parte e tumoribus magnis, ovatis 4 constabat et tumore quinto, qui planior erat, ultimam vertebra amplectebatur lumbalem et cum catena sinistra junctus erat. Qui tumores varie magni erant, sed ma-

ximi  $1\frac{1}{2}$ " in longitud.,  $1\frac{1}{4}$ " in latitud. et  $\frac{3}{4}$  in crassit. metiebantur. In pelvi porro catena dextra vasa femoralia insectabatur et denuo in duas partes discedebat, quarum una cum vasis cruralibus decurrebat, altera vero situm profundiorum sibi in pelvi vindicavit. Portio haec pelvea e 4—5 tumoribus conficiebatur, quorum maximus, ultimus, forma semilunari excellerebat,  $1\frac{3}{4}$ " maxima, 1" minima diametro metiebatur, in inguine jacebat et margine suo dextro nervum cruralem obtegebat, postquam ramos ab eo adeptus est. Similis tumor profundius in pelvi inter art. cruralem et obturatoriam morabatur et laxo cum n. obturatorio, qui in media ejus parte percurrerebat, junctus erat. — Omnia eadem de catena sinistra valent, modo eorum discrimine, quod tumores ejus minores erant formamque magis oblongam praebebant. Nervi et vasa, qui tumoribus finitimi erant, sani videbantur. Omnes massae hae in minores, quae eodem modo conformatae sunt, discedebant et capsula unica, quae in loculamenta divisa erat et plerumque vasa evoluta referebat, includebantur.

Substantia tumorum ubique aequalis, homogenea, lardosa, opaco-alba, duritiae vel steatomotosa vel cartilaginea erat. Quibusdam massis vasa in imis inerant. Sed ambo ultimi tumores semilunares ope circuli concentrici ovati in duas partes discedebant, exteriorem albam, mediae consistentiae et interiorem cineream densiorem. Praeterea tumori ultimo, qui lateris sinistri erat, massae flavae, lentem magnae, iis,

quas in pulmonibus observavimus, non dissimiles inerant; superficies ejus inferior dura tangebatur et sub scalpello clamabat. — Catena utraque cum glandulis inguinalibus externis jungebatur.



### Theses defendendae.

- 1) Methodus Peschieri inflammationes sanandi refutanda est.
- 2) Arthritis et Rhachitis non solum diversi, sed plane oppositi morbi sunt.
- 3) In medicina hucusque nil cum certitudine statui potest.
- 4) Typhus e resolutione nervorum, vasis propicientium, provenit.
- 5) False a cel. Nisle opinatur, fungum medullarem, et cancrum tubercula morbos unius generis esse et a dyscrasia scrophulosa provenire.
- 6) Quod anima vocatur est nil, nisi cerebri functio.